RCS
Mucke

DE DIALECTIS
STESICHORI, IBYCI, SIMONIDIS, BACCHYLIDIS

ALIORUMQUE POETARUM CHORICORUM

CUM PINDARICA COMPARATIS.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB AMPLISSIMO

PHILOSOPHORUM ORDINE LIPSIENSI

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

ERNESTUS MUCKE

SORABUS.

LIPSIAE,

IN AEDIBUS B. G. TEUBNERI.

MDCCCLXXIX.

Stesichori, Ibyci, Simonidis, Bacchylidis, quos sexto quintoque saeculo inter poësis choricae poëtas praeter Pindarum maxime floruisse constat, ceterorumque eiusdem aetatis choricorum dialectum accuratius tractare atque quantum inter sese congruat perscrutari et uno in conspectu componere mihi proposui.

Quod ut assequerer, operae pretium mihi visum est, ut explorarem, num quibusque in rebus dialecticis carmina illorum cum summi clarissimique chorici poëtae Pindari poëmatis concinerent; quod eo facilius fieri potuit, quo diligentius Guilelmus Augustus Peter (De dialecto Pindari; Halis 1866) Pindaricorum carminum dialectum descripsit.

Simonidem Bacchylidemque cum Ceo insula nati et ob eam rem Iones habendi sint, sermone quoque Ionico esse usos suspicio facile potest oriri. Sed rem ita sese non habere, iam cum obiter perlustraveris eorum fragmenta, apparebit; neque enim pauca doricae dialecti vestigia primo obtutu occurrunt. Atque contra Ibycum, quippe qui sit Rheginus, Italiotarum lingua i. e. severiore qui dicitur Dorismo carmina conscripsisse exspectaverimus; attamen id quoque nos fefellisse videbimus, cum nulla propemodum severioris Doridis insint eius poëmatum fragmentis indicia. Et pauca ex eis allata glossemata, quae antiqui grammatici Rheginis assignant, ad severiorem Doridem aut Rheginorum sermonem omnino non pertinere ostendetur. Dialectus vero et eorum et Pindari non est una et simplex, sed eiusmodi, quae certis quibusdam consiliis a poëtis composita esse videatur doricis et aeolicis formis ad epicam linguam admixtis. Dein nec Stesichori nec Timocreontis Rhodii ceterorumque choricorum carmina domestico Dorum sermone

sincero conscripta esse luce clarius ex eorum fragmentis apparet.

Quod quidem quamvis sit mirum, nequaquam a libidine et licentia poëtarum originem traxisse, sed choricorum carminum ortu, genere, argumentis, rhythmis, modis esse postulatum iam Ahrens in commentatione ‚ueber die mischung der dialecte in der griechischen lyrik' (v. verh. d. Gött. Phil. vers. 1852 p. 55 sq.) uberrime et subtilissime docuit. Etenim si quis Graecorum poëta genus poësis quoddam voluit excolere, ut id assequeretur non sua propria lingua, sed quoniam antecedentium poëtarum res, modos, rhythmos — partes illas tres carminis, de quibus Plato Pol. III 398 D: *τὸ μέλος ἐκ τριῶν ἐστὶ συγκείμενον, λόγου τε καὶ ἁρμονίας καὶ ῥυθμοῦ* diserte exposuit — imitatus est, dialecto quoque eorum est usus.

Itaque quicunque poëtae, veluti Simonides, duo inter se aliena poësis genera colebant neque carmina chorica solum canebant, sed etiam elegias et epigrammata scribebant, ut in his non eadem atque in illis uterentur dialecto sunt moti. Quae cum ita sint, id statim adiciam, me Simonidis, Bacchylidis, Timocreontis [1]), Phrynichi elegiarum et epigrammatum dialectum a quaestione mea plane excludere. Nunc id tantum est propositum, ut de choricorum carminum dialecto agamus. Simonidi igitur cum esset ad choricae poësis genus se applicaturus praeter ceteros ab Alcmane et Stesichoro exemplum erat petendum, quandoquidem Dorienses soli choricam excoluerant poësin. Eosdem duces Ibycus, Bacchylides, alii sunt secuti.

Alcman [2]) enim a sermone Laconico eum in modum discessit, ut ei et epicorum formas, cum res materiasque eorum imitaretur, et aeolicas, cum rhythmos eosdem ac Terpander Lesbius, non paululum temporis Spartae incola, usurparet, in carminibus suis admisceret.

Stesichorus autem, quippe qui epicorum plerumque

[1]) Id tantum hic commemorem suspicionem mihi movere potissimum nom. a criticis demum illatum *χέρς* (Timocr. epigr. 9), cui iam ipsius epigrammatis formae vulgares *νοῦς* et *ᾧ* obsistant. Neque praeterea usquam in lingua Graeca indagari potest.

[2]) De Alcmanis dialecto disseruit Spiess in Stud. X, 329 sq.

carminum res tractaret, linguam quoque imitatus secutusque est potissimum epicam eamque patriis Siculorum formis temperavit. Neque tamen ulla aeolicae dialecti vestigia in eius poëmatum fragmentis inveniuntur. Quod vero epicae linguae mitioris Doridis formas admiscere consuevit, id mihi assecutus esse videtur, ut dialectum crearet, quam Graeci diversarum regionum facilius intellegere possent quam qua Alcman est usus.

Porro Ibycus Stesichori, cum epicam linguam doricis mitioris Doridis formis temperare soleret, exemplum est secutus simulque ad Alcmanis usum respexit, cum aeolicas quoque formas nonnullas, ni fallor, carminum suorum argumentis adductus plerumque eroticis, in choricae suae poësis dialectum susciperet.

Hanc vero viam quam Stesichorus Ibycusque patefecerunt et muniverunt, chorici qui postea fuerunt, imprimis Simonides Bacchylidesque non reliquerunt. Nec minus Pindarus eorum qui antea floruerant choricorum uti genera, rhythmos, modos, ita dialectum temperatam summa arte est imitatus. Qua re eam disputationis viam ingredi idoneum esse visum est, ut a Pindari carminibus, quandoquidem sunt etiam multo plura quam fragmenta ceterorum choricorum, proficiscamur praesertim cum rerum quas tractant varietas saepius sit eadem.

Poëmatum enim genera, quibus res materiaeque definiebantur, apud choricos omnino non differunt; nam proinde atque Pindarus composuerunt ceteri hymnos, paeanes, prosodia, parthenia, hyporchemata, encomia, epinicia, epithalamia, dithyrambos, threnos, scolia. Neque tamen ab Ibyco omnia ea genera exculta esse traditum est: sed equidem quod erotica carmina tantummodo et legebantur et laudabantur, utpote quae omnium essent optima, ea de causa alia genera, quae non minus colebat, non esse commemorata arbitror. Atque id quoque potest dici, etiam erotica fuisse instar hymnorum, encomiorum, epithalamiorum composita, quippe quae a puerorum choris cantarentur.

Dein monendum est poëtas quorum de dialecto disseram omnes tripartitione stropharum, quam iam Stesichorum (τὰ

τρία Στησιχόρου) reperisse inter omnes constat, usos esse neque ab illo discessisse. Sicut in strophis, ita in re metrica inter sese conspirasse poëtas choricos vel ex traditis fragmentis percipitur.

Restat, ut Pindarum tribus potissimum harmoniis vel modis et dorica et aeolica et lydia pro carminis cuiusque indole (Boeckh Pind. op. tom. I. 2 p. 213) usum esse commemoremus. Qua in re Simonidem certe cum eo consensisse probari potest (v. Schneidew. Sim. carm. rell. p. LI sq.). Atque has harmonias vel in carminum dialectum quodammodo valere Hermann et Boeckh docuerunt.

Quibus rebus expositis dialectum choricorum poëtarum unam eandemque esse credemus. At multas tamen apud eos offert difficultates id quod alia fragmenta ab aliis scriptoribus prosae suae orationi interiecta saepissime mala, interdum pessima[3]) utuntur condicione. Nam nonnulla frustula, praesertim quae sententiarum tantum gratia apponebantur, ex memoria[4]) libris veterum inserta esse videntur.

Itaque cum non magna traditae scripturae fides sit habenda, necesse est, a vocibus quae certas perhibent formas dialecticas progrediamur, ut quomodo falsa traditio sit corrigenda viam rationemque exquiramus.

Quae quidem dialecti accurata inquisitio eo magis est optanda, quoniam prae ceteris Simonidem Bacchylidemque criticorum recentium alteri (Schneidewin, Boeckh, Neue) cum Pindaro in dorismis et aeolismis asciscendis quam maxime congruisse necesse esse professi in eorum reliquiis congruentiam ubicunque a Pindaro discrepabant data opera coniecturis efficere, alteri vero quos ducit Ahrens (verh. d. Gött. Phil. vers.) cum Bergkio eiusmodi consensum choricorum denegare studuerunt.

---

[3]) Nonnulla tantummodo manifesta corruptae linguae exempla proponam: Sim. fr. 4 *εἷλατο* pro *εἷλετο;* 47 *μέλιττα* pro *μέλισσα*, formae admodum recentes atticae vel alexandrinae; 49 barbarum *εἴκοθι* pro *εἴκοσι;* Bacch. 13 *χαλκαίαν* vel *χαλκέαν* pro *χαλκεᾶν;* 34 *ἀεικελίαν* (Euseb. codd.), *ἀεὶ καὶ λίαν* (Clem. Alex.) pro *ἀεικελιᾶν;* Ibyc. 2 *ὥστις, ἀσκῶν, θεοῖς* (Procl.) pro *ὥστε, ἀέκων, θοοῖς;* Stes. 7 *πῖεν* pro *πῖνεν;* multa alia.

[4]) Conferas praeter cetera Sim. fr. 15. 25. 47. 54. 70. Bacch. 9 Ibyc. 11. 26. Stes. 1. 2. 49 al.

Priusquam vero ad rem ipsam accedamus, antiquorum grammaticorum quae traduntur de choricorum dialecto testimonia perlustranda esse videntur.

§ 1.

Vetustissimum quod exstat testimonium est Ioannis grammatici ap. Aldum Hort. Adon. p. 243 B: *διαφέρει δὲ η τῶν Κρητῶν διάλεκτος, ᾗ περ κέχρηται Κυψέλας, καὶ ἡ τῶν Λακώνων, ᾗ κέχρηται Ἀλκμάων, καὶ ἡ τῶν Συρακουσίων, ᾗ κέχρηται Σώφρων· ἡ μέντοι Πινδάρου καὶ Ἰβύκου καὶ Σιμωνίδου καὶ Βακχυλίδου παντελῶς ἀνεῖται* [5]) *διὰ τὸ μὴ Δωριεῖς εἶναι τῇ φύσει τοὺς ποιητάς, χρῆσθαι δὲ μόνον τῇ διαλέξει.*

Paene eadem eisdem verbis proposuit qui illum exscripsit Gregorius Corinthius p. 371—373 Schaef., nisi quod — num consulto an forte, non liquet — Ibyci nomen omisit.

Multo minus diligenter grammaticus Leidensis (Greg. Cor. ed. Schaef. 635) profert: *κέχρηται δὲ αὐτῇ* (sc. *Δωρίδι*) *Ἀλκμάν, Στησίχορος, Ἴβυκος, Βακχυλίδης, Ἐπίχαρμος· ἡ δὲ χρῆσις αὐτῆς κατὰ διαφορὰν θεωρεῖται,* quippe qui Simonide et Pindaro plane omissis Ibycum et Bacchylidem cum Alcmane et vel Epicharmo coniunxit. Denique Suidas Ibycum *δωρίδι διαλέκτῳ* usum esse profitetur.

Ioanni igitur grammatico accuratius certiusque testimonium antiquitatis de choricorum dialecto debetur. Ille vero cognitionem suam ni fallor e Tryphonis alexandrini grammatici septem librorum (*Περὶ τῶν παρ' Ὁμήρῳ διαλέκτων καὶ Σιμωνίδῃ καὶ Πινδάρῳ καὶ Ἀλκμᾶνι καὶ τοῖς ἄλλοις λυρικοῖς*) loco hausit; cuius opus quod periit valde est dolendum.

Ioannes vero gramm. quam *παντελῶς ἀνειμένην διάλεκτον* nominat, ei alias (p. 301 cf. Greg. Cor. 12 Schaef.) *κοινῆς* vel communis nomen indidit. Cuius verbi ‚*κοινή*' significationem explicans splendidissime de Pindaricae dialecti

---

5) Lectio cod. *ἀνεῖται* (non *ἀγνοεῖται*) confirmatur scholio Theocr. Id. I (v. Ahr. de diall. II, 5 n. 7): *χρῆται ὁ Θ. μάλιστα ἀνειμένῃ καὶ χθαμαλῇ Δωρίδι. Παντελῶς ἀνεῖται* vero significare: prorsus est libera i. e. soluta omni vinculo *ἰδιότητος τοπικῆς* iam Schaefer recte vidit.

temperatione disseruit G. Hermann (de dial. Pind. p. IV): Qui communem linguam Pindaro tribuerunt, hoc dixisse censendi sunt, dialectum qua utitur, singulari quodam temperamento paene ex omnibus dialectis mistam videri .... Fundamentum huius dialecti est lingua epica, sed e Dorica[6]) dialecto tantum ascivit Pindarus quantum et ad dictionis splendorem et ad numerorum commoditatem idoneum videretur, repudians illa, quae aut interioris essent aut vulgaris aut certis in locis usitati Dorismi. Nec primus hoc fecit Pindarus, sed secutus alios, ipse quoque post in exemplis habitus.

Pindarum autem epicam linguam Dorismis et Aeolismis temperasse certo testatur Eustathius ad Od. 1702, 3: *ὡς δὲ οἱ Δωριεῖς ἔχαιρον καὶ αἰολίζοντες, δηλοῖ Πίνδαρος ἀναμὶξ οὕτω ποιῶν ἤτοι καὶ Δωρικῶς γράφων καὶ Αἰολικῶς* et in prooemio commentt. Pind. p. 21 ed. Tafel: *αἰολίζει δὲ τὰ πολλὰ εἰ καὶ μὴ ἀτριβῆ δίεισιν Αἰολίδα καὶ κατὰ Δωριεῖς φράζει εἰ καὶ τῆς σκληροτέρας Δωρίδος ἀπέχεται.* Quae quidem verba in ceterorum quoque choricorum dialectum optime quadrare mihi persuasi.

Caput I.

De formis, quae et aeolicae et doricae dialecto possunt tribui.

§ 2.

De vocalibus ᾱ et η.

Eo potissimum, quod vocalis α longa ex vetustissimis temporibus retinebatur, dialectus aeolica doricaque ab ionica et attica discedunt. Quo quidem dialectorum aperto discrimine bene observato chorici poëtae, etiamsi dialecti fundamento usi sunt lingua epica, tamen hanc vocalem ᾱ in carmina susceperunt, siquidem formae, quae ᾱ servabant, multo magis dignitati gravitatique lyricae poësis conveniebant. Ea ipsa re chorici maxime inter se conspirant sibique con-

---

[6]) Adde: et Aeolica.

stant. Num vero ubivis constanter vocalem ᾱ adhibuerint, iam Ahrens (II, 128) quod ad Pindarum pertinet addubitavit; nihilo tamen secius paullo post (p. 132 sq.) omnes illas epicas formas in Pindari carminibus repertas librariorum socordiae imputat corrigendasque esse praecipit, cui praecepto omnes paene recentiores critici obsecuti sunt, num iure, valde dubito. Etenim nonnunquam choricos epicum η in vocibus ex epica lingua deprompțis non repudiasse, sed sententiae epicae epica vocis forma retenta epicum quoque colorem imbuere studuisse mihi ea ipsa res probare videtur, quod hoc in usu prorsus inter se consentiant. Quam rem exemplis infra enumeratis magis apparituram esse arbitror.

Nunc mihi erit curae eas formas afferre, quae in libris aperte vocalem ᾱ praebent.

A. Ac primum quidem Pindarus ceterique chorici inter sese consentientes ubique pristinum ᾱ retinuerunt:

I., in terminationibus sing. I decl. sive vocalis sive consona praecedit, veluti: ἁ τύχα, τᾶς τύχας, τᾷ τύχᾳ, τὰν τύχαν et Ἑρμᾶς, —, Ἑρμᾷ, Ἑρμᾶν, Ἑρμᾶ.

Qua in re Ibyci fragmentorum scriptura sibi constat; nempe nom. pr. *Κυάρης* (fr. 20) sub hanc legem non cadit, siquidem ad similitudinem Persicae vocis Koresch formatum vel propius accedit ad ipsam formam Persicam, quam posterior forma *Κῦρος*. Attamen etiam hic nonnulli codd. *Κυάρας*[7]) tradunt, quae forma Doridi accomodata esse videtur.

In ceterorum vero choricorum fragmentis aliquoties genuina vocalis α propter scriptorum qui ea tradunt consuetudinem vulgari η cessit: Sim. fr. 46 *θεριζομένη*, at duo codd. *θεριζομένα;* 60 γῆς (contra 63 recte γᾶς); 66 σιγῆς, sed cod. Gesn. m. σιγᾶν; 76 τήν schol. Eur.; contra τάν codd. Plat. rep. II, 365 C; Bacch. fr. 13, 1 εἰρήνη; 26 τὴν φίλην; 39 τήν. Stes. fr. 1. *Ποδάργης* Et. M., at al. codd. *Ποδάργας;* 35 χολωσαμένη, μόνης (cod. V. μιᾶς); 38 Ἑλένη.

---

7) Schneidewin (Ib. Rheg. rell. 195) *Κυάρης* pro ‚Cyaxares' a poëta dictum esse censet, quod iam re ipsa reprobatur; nempe Cyaxares, cum Polycratis temporibus iamdiu esset inter mortuos, minime illi regi erat timendus.

In Apollodori fragmento (Bergk, 1110) pro codd. τοιῇδ' ὥρῃ legendum est τοιᾷδ' ὥρᾳ.

Apud Pindarum unico loco (P. V, 67 [8]) quattuor libri perhibent εὐνομίην, quod praeter Mommsenum nemo retinuit.

Substantivorum masculinorum, quae in — ας desinunt, traduntur exempla haec: nom. Ὑπεριονίδας Stes. 8; Πλεισθενίδας 42; Ἀΐδας 50; βορέας Ib. 1; Ἑρμᾶς [9]) Sim. 18; καλλιβόας 46; ὑπηρέτας Prat. I. 7; στρατηλάτας I. 9; acc. οἰκέταν Sim. 4; ναέταν 57; Λευτυχίδαν, Ἀριστείδαν, ψεύσταν, προδόταν Timocr. 1; — βάταν Prat. I. 13. voc. χρυσεοκόμα Sim. 27.

II., in omnibus verborum quorum stirps in α exit declinamentis: νίκασε(ν) Stes. 3; Sim. 52. νικάσαντα (codd. prave νικήσαντα) Bacch. 6. ὤνασα Sim. 55, at ὀνησίπολις 5 (v. infr.). ἔβας Stes. 26; ἔβα Stes. 8, 5; Ib. 2; Timocr. I, 8. φάσωμεν Bacch. 30; ἔφα 33, sed in eodem fragmento ἔστη, quod iam Neue ad ἔφα respiciens iure in ἔστα correxit. ἔφα Timocr. 6. κατ-έστασε Prat. I, 6. Στασίχορος (codd. B P Athenaei falso στησίχορος) Sim. 53.

Huc etiam trahendum est adi. verb. θνατός (Sim. 58; scol. 8; Bacch. 2; 13; 21; 29) stirpis θαν, quae per metathesin in θνα transponitur. Librariorum vero culpa cernitur in θνητῶν Sim. 71; Bacch. 3 et θνητοῖς Bacch. 9; 36 iamdiu a criticis ad rationem reductis.

III., in principi syllaba praeteritorum, in quibus augmento temporali vulgo η ex α nascitur: Sim. 53 ἄεισε; 40 ἅλλοντο; 46 ἄρξατο (cor. Schneidew.; codd. falso ἤρξατο); Timocr. I, 6 κατᾶγεν. Pindarica exempla congessit Peter p. 54.

IV., in formis verbalibus et vocibus derivatis, quaecunque ad stirpes, in quibus α est, revocari possunt, ut Pind. O. II, 18 λάθα, al. (v. Peter p. 15). Dein Sim. 12 λαθ-άνεμος; Timocr. 1 ἤχθαρε (att. ἤχθηρε); Ariphr. τέθαλε (cf. Pind. P. XI, 53 τεθαλότα; fr. 107 τέθαλεν).

---

8) Loci et Pindarici et ceterorum melicorum allati sunt ex editione Bergkiana poëtarum lyricorum tertia.

9) In corruptissimo Stesichori fr. 1 haud scio an Blomfield formam epicam Ἑρμείας temere restituerit. Equidem Kleinium secutus scribere malim Ἑρμᾶς, qua forma Pindarus quoque semper est usus.

V., in vocibus quaecunque aut a I. decl. vocabulis aut a verborum stirpibus in α exeuntibus descendunt: Sim. 53 δινάεντα Bacch. 35 φωνάεντα Ib. 8 φᾶμις Sim. 4 μνᾶστις Lampr. 2 saepiusque Pind. (Peter p. 9) ποτανός Prat. I, 13 —βάτας Eumel. Ἰθωμάτᾳ.

VI., in compositorum partis secundae vocali initiali, uti ἀρχαγέτας (v. Peter p. 9). Stes. fr. 35 λιπεσάνορας vulgo, sed Schneidewin (Beitr. z. Krit. d. P. lyr.) λιπεσάορας i. e. λιπεσήορας ex cod. V scriptura λιπεσίορας.

VII., in adverbiis, quae vulgo in — ῇ cadunt. Praesto est unicum praeter Pindarica exemplum ᾇπερ Ib. 3.

VIII., in compositis, quorum prior pars in η pro vulgari ο ceteroqui terminatur: Stes. 48 πυλαμάχος. Lampr. Phryn. Pind. πολεμαδόκος. Terp. 2 Pind. ἑκαταβόλος. Pind. O. VIII, 10 στεφαναφορία, adesp. 140 falso στεφανηφόρον. Cetera exx. Pind. v. Peter p. 11.

Pariter prave leguntur in Ib. 20 στρατηγός et adespoton 101, si est Simonidis, φιλήνεμοι.

IX., in femininis, quae vulgo in — ηνη desinunt:

Timocr. 1 Ἀθάνα Sim. 57 σελάνας; 23 γαλάνας, 8 Ἀλκμάνας, quod in Ἀλκμήνας mutandum esse perperam commendat Schneidewin, quippe quod a Pindaro Ἀλκμήνα sit positum. Attamen in codicibus Pindaricis traditum εἰρήνα (saepius; v. Peter p. 9) a criticis non movetur, quamquam Dorienses nonnullos [10]) εἰράνα et Boeotos ἰράνα protulisse constat et in adesp. 140 Εἰράναν scriptum perhibetur; cf. sub C Pindarica ἀπήνα et τιθήνα. Dubitari igitur licet, utrum in Bacch. fr. 13 pro codd. εἰρήνη sit reducendum εἰράνα (auctoribus Boeckh. et Bergk.) an εἰρήνα; quarum emendationum alteram equidem propter Pindari tragicorumque (Eur. in canticis Bacch. 419; Heracl. 372) formam εἰρήνα praeferam.

X., in populorum nominibus in — ην terminatis:

Timocr. 2 Ἕλλανας. Pind. Ἑλλάνων P. I, 49 et saepius.

XI., in singulis quibusdam vocibus, quae hae sunt:

---

[10]) Ex Foucarti collectione titt. pelop. exhibui exx. haec: 1., Megarica: εἰράνας 33 a; 35 εἰράνᾳ 7; 26; 30; 31; 33; 34. 2., Laconica: εἰράνας 194 d. ἰράνας 228 a b.

ἁγέομαι, ἁγητήρ Pind. cf. Terp. 1 ἁγήτωρ (Arsen; ἀγήτωρ Clem. Alex.).

ἁδύς eiusque composita: ἁδυόδμος Sim. 74 ἁδύφωνος Prat. 4. μελιαδής Sim. 41 cf. Pind. P. IX, 37.

ἁδονά Sim. 71.

ἀέλιος Sim. 57. Bacch. 2. Stes. 8; ἅλιος Sim. 77.

ἀλάθεια Sim. 76. Bacch. 23; ἀλαθέως Sim. 5. item semper Pind.

ἆλιξ Ib. 16 cf. Pind. P. III, 17. ἄναος Ib. 21 [11]).

ἀναρίτας Ib. 22 (coni. Boeckh) pro vulgari νηρίτης.

ἁμέτερος Bacch. 11. Ib. 1 (altero loco in libris ἡμετέρας legitur, quod cum in Ibyci dialectum prorsus peccet, Hermanni emendationem confidenter probo).

ἁμός Bacch. 13 (codd. prave ἆμος vel ἀμός et Bergk Heynium secutus nescio quo iure ἀμός spiritu leni praeditum; cf. Ahr. II, 263, 13).

ἆμαρ Bacch. 19 (libri habent depravatum παρομαρτε i. e. παρ' ἆμάρ τε).

προ-αχέω Prat. I, 11 cf. Ἀχώ Pind. O. XIV, 19.

γᾶρυς Sim. 41.

Δᾶλος Bacch. 31 (ex splendida Blassi emendatione Δᾶλ' pro codd. δ' ἄλλ' v. M. Rh. XXIX, 158). Δαλογενής Sim. 27.

Δαμάτηρ Las., Pind. δαμώματα Stes. 34. δαρόν Ib. 21.

θαέομαι (dorice pro epic. θηέομαι et att. θεάομαι) Pind. P. VIII, 45; θαήσατο adesp. 40, quod Ibyco Bergk ascripsit.

κυβαλικός (Bergk) Timocr. 1. cf. Hesych. κυβηλικός.

μᾶλον Stes. 27 Ib. 6. μαλίδες 1 (vulgo μηλίδες. cod. Athen. A μολίδες cf. supra ομαρ pro ἆμαρ; quod Bergk μηλίδες retinuit, non probo).

μανίω Sim. 50 cf. Pind. IV, 159 μᾶνις.

μάν (coniunct.) Ib. 2, Pind. saepius.

μανύω Sim. 30; Bacch. 22; 43.

μάτηρ Sim. 49 Stes. 8 Timocr. 6 Licymn. 4.

---

[11]) Traditur δαρὸν δάρασι χρόνον κτα. Alterum δάρασι quod librarii ad prius δαρόν aberrationi debetur, vario modo emendare viri docti sunt conati. Bergk Nauckio auctore (Philol. V, 546) ex homerico loco (ψ 93) ἄνεω recepit. Equidem Ibycum doricam illius vocis formam ἄνᾱος (de forma v. Curt. Et.[4] 390) scripsisse arbitror, cum corruptela δάρασι ex δ' ἄναος facillime explicetur.

Ναϊάς (ep. *Νηϊάς*) Prat. 1 cf. *Ναΐς* (ep. *Νηΐς*) P. P. IX, 16.
νάϊος Sim. 23; *νᾶσος* Bacch. 7; *ναός* 23 semperque Pind.
ὀπαδεῖ (ep. *ὀπηδεῖ*) Sim. 15 Pind. P. IV, 287.

παγά Stes. 5 Pind. saepius. *πανέλοψ* Ib. 8; Stes. 91 falso *πηνέλοψ* ex schol. Ar. Av. 1302 cf. Ar. Av. 298.

πραϋγέλως Licymn. 4 cf. *πραΰμητις* Pind. O. VI, 42 et *πραΰς* (ep. *πρηΰς*) Pind. saepius.

σασαμίς Stes. 2. *σιδάρεος* Sim. 8 semperque Pind.; *σιδαρόδετος* Bacch. 13; *σιδαρωτός* Stes. 1.

στάλα Sim. 57, 4 (vulgo *στήλας*, sed Stephani codd. *ἀντιθέντα μένος τάλας* i. e. *στάλας*).

τᾶμος Ib. 7.

B. Contra vocalem *η*, ubicunque productione vocalis *ε* nascitur uti Aeoles Doresque (Ahr. II, 145 sq.) sic Pindarus (Peter p. 12 sq.) ceterique chorici obtinent:

I., in nominibus III. decl. in *ης*, *ηρ*, *ην* exeuntibus

a., et in eis, quae genetivos in —*εος*, —*ερος* vel —*ρος*, —*ενος* terminant: Ib. 1 *ἀθαμβής* Sim. 2 *εὐκλεής*, 3 *ἀνήρ* al. Bacch. 36 *Ἄρης* al.

b., et in eis, quae in cass. obl. vocalem *η* retinent: Sim. 31 *Κρῆτα* (nom. *Κρής*) cf. Pind. P. V, 41 *Κρῆτες*. Sim. 38 *δασπλῆτα* Bacch. 28 *τάπητες* Stes. 28 *ποδονιπτῆρα* Ib. 59 *στερφωτῆρα*.

II, in adiectivis in —*ηρος* et —*ηλος*, quae non ad nomina I. decl. pertinent: *πονηρός* Timocr. 3 *ἐρίσφηλος* Stes. 81 (de forma v. § 21, 3b) *αἰψηροκέλευθος* adesp. 39, 9.

III., in substantivis derivatis II. decl., quae in —*ηριον*, et III. decl., quae in —*ημα* desinunt: Sim. 31 *ὄρχημα*; 52 *ῥῆμα*; Ib. 2 *κήλημα*; 5 *μελέδημα*. Hanc regulam non secuntur *βᾶμα* (Pind.) et *μνᾶμα* (Sim. epgr. 134), siquidem descendunt a stirpibus *βα* et *μνα* (cf. *Μνάμας* Terp. 3).

IV., in vocum quae in —*ις*, —*υς*, —*ας* cadunt syllaba paenultima: *γῆρας* Sim. 36; Bacch. 3; Ib. 2; Pind. P. X, 41 al. *δῆρις* Ib. 26 cf. *δηριάω* Pind. V. XI, 26. *παρηΐς* Phryn. 2. *Αἰοληΐς* Lasus. *δολόμητις* Sim. 43 *πάμμητις* 61.

V., in nonnullis vocibus deductivis, quae ad stirpes, in quibus *ε* est revocari possunt: Sim. 64 Ib. 1 *ἀκήρατος* (a st. *κερα*) Prat. 1 *στρατηλάτας* (ab *ἐλαύνω*), *ὑπηρέτας* (a st. *ἐρ*).

VI., in numeralibus in —ηκοντα: Sim. 203 πεντήκοντα.

VII., in particulis adverb.: ἤ, ἦ, μή, δή eorumque compositis: ἠδέ, ἤδη, ἤτοι; μηδέ, μήτε, μηκέτι al. ἤν i. e. en (Prat. I, 15).

VIII., in augmento temporali verborum, utpote quorum stirps in fronte ε habeat: Sim. 37 ἤριπεν (coni. Brunck; codd. ἔριπεν, quod in metrum peccat) Ib. 54 ἤλσατο Timocr. 1 ἤχθαρε, ἤσθιον Apollod. ἦλθεν.

IX., in terminationibus coniunctivi, uti καθέλῃ Sim. 5, et optativi, uti φανείη Sim 37, et aoristi pass., uti ἐφάνη Stes. 42.

X., in verborum quorumcunque stirps in ε desinit temporibus, quibus ε est producendum, et in vocabulis, quae ab illis stirpibus derivantur, uti ἐδόκησε Stes. 42 διζήμενος Sim. 5 εἰρημένος 5 ἄῤῥητος Bacch. 14 (a st. Ϝερ vel Ϝρε).

Apud Pindarum autem vel horum ipsorum verborum nonnulla assumunt interdum vocalem ᾱ: φώνασε (bis); ἐδινάθην, ὠκυ-δίνατος; πεποναμένος, ποναθῇ (v. Peter p. 12 sq.); quas formas ex radicibus in α terminatis [12]) manasse Ahrens (II, 148 sq.) ostendit. At miror, cur nihilo secius hic vir doctus codicum γεγεναμένον (O. VI, 53), de qua forma conferas Curti Verb. I, 390, in γεγενημένον mutandum esse censuerit. Nec tamen altera ex parte Schneidewini probo rationem, qui in Simonidis quoque fr. 68 nulla de causa nisi ut cum Pindarica illa forma efficeret concentum, codicum γεγενημένον in γεγεναμένον mutavit; etenim ex reliquis choricis nihil potest afferri, quod illam fulciat mutationem. Qua ipsa de causa, etiamsi apud Pindarum et Theocritum ζαλωτός exstat, editorum correctura ζαλωτός Sim. 71 et ἐπίζαλος Bacch. 1 pro codd. scriptura ζηλωτός et ἐπίζηλος est reprobanda, cum e st. ζες (Curt. Et.[4] 380) pendeant. — Ex st. δεμ (aedificare) formant Pindarus et tragici in cantilenis adii. verb.: νεόδματος, ἐΰδματος, θεόδματος; cum eis facit Bacch. 7 θεόδματος.

XI., in singulis vocibus hisce: ἀήδων Ib. 7 Sim. 73

[12]) Similiter propter formas κοινάσαντες (P. IV, 115) et παρεκοινᾶτο (ib. 133) verbum κοινάω praeter vulgatum κοινόω statuendum est (Curtius Verb. I, 352).

ἄητα 40 ἀπήμαντος 61 ἡμίθεος 36 (cf. Alcm. I, 7 ἡμισίων). ἤπιος Stes. 35 Ἥρα 1 ἥσσω Sim. 57 ἦτορ 37 Κῆρες 1, Pind. 261. Λήδα Terp. 4 Pind. saepe. Μαγνησία Sim. 48 μήδομαι 47. Μῆδος Ib. 20 Timocr. 3 Pind. P. I, 78 μῆλον Sim. 247[13]) Bacch. 13 μῆνα (acc. vocis μήν) Sim. 12 μῆρον Bacch. 13 Ὅμηρος Sim. 52 πλήμμυρις Bacch. 45 Ταρτησσός Stes. 5 χρή Stes. Sim. Bacch.

C. Tertiō loco experiendum est, num chorici *ubique* pro vocali η antiquam α adhibuerint. Quod quamquam vulgo statuitur, tamen negandum esse perspiciemus collatis quaecunque illi opinioni adversantur vocibus. Ante omnia autem ab hac quaestione secludenda sunt eroticorum Bacchylidis carminum fragmenta 24; 27; 28 et frustulum 42, in quae aliae leges valeant, de quibus in calce huius § agemus.

I, Quibus omissis statim enumeremus voces, quae in libris η pro α ostendunt:

Apud Stesichorum: fr. 26 νησσίν 51 ἀμήχανα[14]) 50 κήδεα 83 ἠλίβατος (Pind. κᾶδος [saepius] et ἀλίβατος O. VI, 64).

Apud Simonidem: fr. 5 ἀμήχανος[14]) 43 κακομήχανος 12 ἤματα 81 ἡμερόφωνος (contra Pind. ubivis ἆμαρ, ἁμέρα) 4 σηκός (dor. σακός cf. σακίτας Theocr. I, 10) 23 κληΐς (Pind. semper κλαΐς) 79 ἥδυμος[15]), etiamsi 41 μελιαδής; 5 ὀνησίπολις, sed 55 ὤνασσα; 37 et 52 γαλαθηνός (a st. θα cf. Curtius Et.⁴ 172); 5, 5 μωμήσομαι; ib. ἠλίθιος.

Apud Ibycum: fr. 1 Θρηΐκιος; κῆπος (Pind. κᾶπος, saepius); 21 πεπηγώς (Pind. πάξαμεν, ἔπαξε v. Peter p. 15).

Apud Bacchylidem: fr. 34 ἀδμῆτες 9 Ζηνί cf. Pind. 38 Ἰθακήσιος cf. Alcm. 42 βροτήσιος 63 μαθήσιος.

---

[13]) Aristophanes grammaticus Simonidi μᾶλον (ovis) tribuit semelque apud Pindarum plurimi optimique codd. πολυμάλῳ edunt, quas formas Ahrens (II, 153) abiecit Theocriti, qui saepius μᾶλον pro μῆλον posuit, testimonium suo iure minimi aestimans. Nempe μῆλον praeter Bacchylidem semper perhibent tragici in cantilenis (Aesch. Eum. 944, Eur. Alc. 588 al.). Dores Aeolesque pro malo μᾶλον, pro ovi μῆλον dixerunt.

[14]) Congruunt cum eis vel Epicharmus (94 Ahr.) et Theocritus (in carmm. dor. I, 85; XIV, 52) et ipsi forma ἀμήχανος usi; Pindarus vero et tragici in canticis (Aesch. Sept. 227; 132; Pers. 113 al.) ἀμάχανος, ἀμαχανία etc. posuerunt.

[15]) Item Alcm. 137 ἡδυμέστατος. Utrumque Schneidewin nullo iure attrectavit scribens ἅδυμος et ἀδυμέστατος.

Apud Pindarum: Etsi editores Ahrentem (II, 132 sq.) secuti ubicunque potuerunt epicum *η* expulerunt, tamen adhuc attrectare non sunt ausi: *Θρηΐκιος* P. IV, 205 *Ἀθηναία* (v. Peter p. 10) *Ζηνός, Ζηνί, Ζῆνα* (saepius v. Peter 42) cf. Terp. 4 *Ζηνός* dor. *Ζανός*. *Ἀλκμήνα* (v. Peter 10), sed Sim. 8 *Ἀλκμάνα; ἀπήνα* O. V, 3; P. IV, 94 *τιθήνα* P. I, 20 *νήποινον* P. IX, 58 (cf. Ahr. II, 133); *προσηύδα* P. IV, 119 *τέτμηνται* (st. *τμα* vel *ταμ*) J. VI, 22 *Ἀσκληπιός* N. III, 54 *ἀπρήκτων* J. VIII, 8 (v. Boeckh not. crit. ad h. l., sed Bergk *ἀπράκτων* scr.). Contra Sim. V, 16; 39 et Bacch. 20 praebent *ἄπρακτος* et Schneidewini qui Pindari gratia etiam his epicum *ἄπρηκος* imputat rationem perpaucos hodie criticos probare mihi persuasi.

Apud omnes igitur hos poëtas in voces quae *η* servant incurrimus; quas cum perlustramus omnes exceptis Simonideis *ἡμερόφωνος, ὀνησίπολις, ἠλίθιος* in Homeri carminibus legi et paene omnes esse poëticas, a lingua pedestri alienas intellegimus. Qua re facile adducimur, ut in illis vocibus quas ex epica lingua mutuabantur, ipsos poëtas re vera epico *η* indulsisse putemus. Ita Stesich. fr. 26 *νηυσὶν εὐσέλμοις* et Sim. 79 *ἥδυμος ὕπνος* una cum epicis enuntiatis epicas quoque formas intactas transtulerunt. — In Simonideo futuro *μωμήσομαι* (fr. 5, 5) vel aliae causae favent vocali *η*. Nam illius verbi praeter *μωμα* radicem *μωμε* declarant formae *μωμεῖν* Hes. op. 754 et *μωμεῦνται, μωμεύμενος* Theogn. 369 et 169. Theocritus et *μωμήσατο* (XX, 18) et *μωμάσατο* (IX, 24) dixit. Inde fit, ut in Simonide Schneidewini correctura *μωμάσομαι* sit supervacanea. — Porro Bacch. 34 epic. vocem *ἀδμῆτες* (cf. Soph. O. Col. 1055 cantil. *ἀδμῆτας*) forte propterea immutatam recepit, quod alioqui etiam in Doride nomina III. decl. in —*ης* gen. —*ητος* (v. supra B., I.,) vocalem *η* servant.

Dubitationi vero locus datur in Simonideis *ἡμερόφωνος, ὀνησίπολις, ἠλίθιος*, utpote quae cum apud Homerum non legantur vix ex epica lingua depromptae esse possint. Etenim in Sim. 81 codd. edunt *ἱμερόφωνος* excepto B, qui habet *ἡμερόφωνος*, ubi *ι* pro *η* debetur Itacismo; sin autem auctore Schneidewino *ἁμερόφωνος* scribimus, illa duplex cor-

ruptela vocalium *α* in *η*, *η* in *ι*, quam statuit durior mihi videtur esse. In v. *ὀνησίπολις* ob Simonideum *ὤνασα* (55) magis corruptelam suspicari licet, nisi potius poëtam huic epice ficto adi. comp. (cf. *ἐρυσίπτολις* H, 305) etiam epicum vocalismum indidisse statuamus. Valde vero dubia est res in *ἠλίθιος* neque equidem Schneidewino obloquar, qui ad Pindari (P. III, 11) exemplum Simonidi quoque *ἀλίθιος* vindicavit.

II., Vehementer offendit animum primo obtutu Ibycea glossa (fr. 60) *τραπεζητᾶν κυνᾶν* (l. *κυνῶν*) Herodianique praecepto: *τραπεζίτης ἐπὶ κυνός· ἐπεὶ ἀπὸ τοῦ τραπεζεὺς παρῆκται, διὰ τῆς ει διφθόγγου γράφεται· τοῦτο δὲ παρ' Ἰβύκῳ εὕρηται κατὰ τροπὴν τῆς ει διφθόγγου εἰς η* (Herod. techn. rell. I, 77, 10 al., ed. Lentz) tres repugnant res: Primum contra graecae linguae indolem a nomine agentis *τραπεζεύς* denuo suffixo *ιτης* novum nomen agentis eiusdem notionis formatur; deinde diphthongus *ει* in *τραπεζείτης*, siquidem est genuinus ne in severiore quidem Doride in *η* vocalem commutari potest. Denique forma *τραπεζείτης* ad quam provocat Herodianus, nusquam in lingua Graeca reperitur; nam illud in tribus atticis magistratuum rationibus (C. J. Gr. I, 338 sq.) scriptum *τραπεζείτης* nihil probat, cum illae rationes imperatorum Romanorum attribuantur aetati, qua *ει* et *ι* prorsus aeque pronuntiata esse constat, et in proxima eiusdem aetatis et loci ratione reapse forma *τραπεζίτης* exarata sit. Quare fieri non potest, quin Herodiani sententia abiecta vocem *τραπεζήτας* perinde atque atticam *τραπεζίτης* et epicam *τραπεζεύς* recta via a subst. *τράπεζα* deductam esse arbitremur. Quam quidem vocem *τραπεζήτας* Ibycus nisi me fallit opinio ad similitudinem finxit epicorum nominum agentis, qualia sunt *αἰχμητής*, *ἀστεροπητής*, *κορυνήτης*. In *τραπεζητᾶν* igitur stirps epicam, terminatio vero doricoaeolicam exhibet vocalem, id quod apud choricos saepius deprehendimus, uti Ib. 15 *κούρᾳ* Pind. P. IX, 27 *μούναν*, Sim. V, 16 *κενεάν* etc.

III., Ultimo loco de Bacchylidis fr. 24; 28; 27; 42 dialecto disseramus. Ac primum quidem in fr. 24 et 28 et in stirpibus (*πῆχυν*, *ἡδύς*) et in terminationibus (*τὴν ἐπ'*

ἀγκύλης) non positum videmus nisi *η*. Quod utrumque fragmentum cum ceteroqui neque aeolicam nec doricam ullam offerat formam et praeterea metro a choricorum carminum metris abhorrenti trochaico sit conscriptum, iam Neue atque Bergk concluserunt Bacchylidem in trochaicis [16]) versibus attica dialecto esse usum, equidem atticam epica temperasse (cf. *ἀντεἰνασα* 24 *Βοιωτίοισιν ἐν σκύφοισιν* 28) dicere malim. Verumtamen non in trochaicis versibus eum solis, sed omnino in carminibus catervarum concentui non destinatis triplicem dialecti mixturam omisisse et atticam tantum cum epica miscuisse affirmare fragmenti 27 scriptura mihi videtur. Illud vero carmen ad catervarum concentum compositum non fuisse et argumentum et rhythmica compositio demonstrant. Stropha enim quaternorum versuum semper prorsus parem excipit stropham in modum scoliorum vel eroticorum Anacreontis. In textu autem librorum nullae formae nec doricae neque aeolicae [17]) occurrunt nisi in initio ter *ᾱ* in: *ἀνάγκα*, at duo codd. *ἀνάγκη*; *σευομένα* (Blass in M. Rh. XXIX, 158 *σευομενᾶν* coni.); *ἀμμιγνυμένα* (Boeckh coni. *ἀμμιγνυμένας*). Ceterae formae dialecticae: *αἰγλάεντα*, *νᾶες*, *μαρμαίροισιν* ab editoribus Neuio et Bergkio demum illatae sunt. At Bergkio, si sibi constaret, pariter in v. 10 *ἄγοισιν* pro codd. *ἄγουσιν* erat scribendum. Denique formas vulgares *πόλεων*, *κρήδεμνα* (v. 6) neuter tetigit. Qua ex re apparet, quam vehementer nec sibi constantes critici in hoc fragmento sint grassati. — Mea quidem sententia eo quoque confirmatur, quod in scoliis et Timocreontis (fr. 8) et Praxillae (fr. 3; 4.) consimiliter nulla choricae dialecti insunt vestigia; nam in Prax. 3 *ὀλίγα* pro *ὀλίγη* et in Timocr. 8 inf. *φανῆμεν* (codd. *φανήμεναι*)

---

16) Eandem in modum Praxilla in dithyrambis (fr. 1 et 2), utpote qui discrepantes a choricae poësis ratione versibus essent conscripti heroicis, non dorica, sed sincera epica dialecto est usa. Qua quidem metrica dialecticaque ratione hymnus in Neptunum, qui vulgo Arioni ascribebatur, spurius aperte indicatur. Etenim metrum est choricorum carminum, dialectus vero ei repugnas Attica (*Πόσειδον, θῆρες, χορεύουσι, φιλόμουσοι, οἵ, νεώς, ἀστιβῆ, εἰς, γαιήοχε*), quae pariter atque in tragicorum canticis paucis et notissimis formis doricis (*Ἀμφιτρίτα, ἅλμαν, γᾶν, ἀκτάν, γλαφυρᾶς, κουρᾶν θεᾶν*) et epicis (*κούφοισι, κυρτοῖσι, ἐνί*) intermiscebatur.

17) Nam *θάλπῃσι* (codd. prave *θάλπησι*) non aeolicam, sed epicam formam esse, infra (§ 20) demonstrabitur.

criticis debentur; altero autem loco vel φανῆμεν', ἀλλά vel φανῆναι (Hoepfner) legendum est.

Denique in Bacch. 42, quo poëta dicit de Ionum mollitie et luxuria, vocalis η in ἁβρότητι minime est movenda, quoniam poetam non solum rhythmos ionicos (τὸν σφᾶν αὐτᾶν ῥυθμὸν δηλῶν), sed etiam dialectum ionicam imitari forma v. subst. ἔασιν pro εἰσίν, quam ceteroqui chorici poëtae non asciverunt, aperte declarat.

§ 3.

De reliquis formis aeolicodoricis.

I. Alia dorici aeolicique sermonis proprietas, quam chorici in suum usum convertebant quamque iam Alcman (Spiess Curt. Stud. X, 344) constanter adhibuit, est contractio vocalium $\overline{\alpha\omega}$ et $\overline{\alpha o}$ in α, quae semper conspicitur:

a., in gen. pl. I. decl.; exempla legi haec: Sim. 18 φιλᾶν, 37, 9 τεᾶν κομᾶν βαθειᾶν, 44 Μοισᾶν, 45 ἁγνᾶν, Bacch. 34 ἀεικελιᾶν, 13, 6 αἰθᾶν ἀραχνᾶν, 13, 11 χαλκεᾶν, Tynnich. Μοισᾶν, Timocr. 1 ἱερᾶν Ἀθανᾶν, Prat. 5 ἀοιδᾶν (codd. ἀοιδὰν λαβράκταις neque opus est coniecturis), Stes. 50 μελιστᾶν (coni. Bergk; codd. μάλιστα); in adespoton 101 πολιᾶν et 140 συντυχιᾶν. Ib. 1 ῥοᾶν, 22 ἀναριτᾶν (Bergk), 60 τραπεζητᾶν κυνᾶν; qui alter genetivus aeque atque αἰγᾶν in Theocr. Id. V, 145; VIII, 49 ab Ahrente (II, 229) summo iure in suspicionem est vocatus; etenim librarios ad vicinarum terminationum similitudinem — id quod vel in Euripidis Hec. 1053 et Hel. 378 Aldus Manutius commisit — has barbaras formas conformasse liquet et nihil valet Schneidewini (Ib. Rheg. rell. 201) opinio, qui Ibycum quia sermo sit de canibus domesticis illam formam e plebeio Siculorum sermone ascivisse putat. Nunquam chorici posuerunt horum genetivorum formam epicam vel vulgarem, quare in Apollod. fr. pro θυράων, in Bacch. 13, 2 pro ἀοιδῶν, in adesp. 39, 12 si est Stesichori pro ἀργαλέων ὀδυνῶν reducendae sunt formae depulsae θυρᾶν, ἀοιδᾶν, ἀργαλεᾶν ὀδυνᾶν. Denique in Ib. 5 γλαυκέων (χαρίτων) iam metro reprobatur, cum vox anapaestica desideretur et adi. γλαύκειος non appareat in lingua Graeca nisi in pro-

2

verbio γλαύκειον ᾠόν (Arcad. 44, 15). Nec tamen Schneidewini coniectura γλυκεᾶν (Ib. Rh. rell. 109 γλυκεῶν) placet, quandoquidem apud choricos feminina adiectivorum in —υς non Dorum more ι elidunt (cf. § 17, 1). Itaque γλυκεῖᾶν (cf. § 12, II fin.) vel cum Heckero γλυκερόν (sc. θάλος) scribendum est. Alterum equidem praetulerim.

b., in gen. sing. masc. I. decl. Apud Pindarum vocales *αο* et epico more solutae (P. IV, 171 *Κρονίδαο*) et dorico contractae (O. VIII, 43 *Κρονίδα*) leguntur. v. Peter p. 33. In ceterorum fragmentis casu desunt exempla excepto *Μεγιστία* (Sim. epigr. 152).

c., in nominibus propr. voce λαός compositis, velut Ἀρκεσίλας (P. IV, 65; Sim. epigr. 157) v. Peter p. 34.

d., in nomine proprio, quod epice sonat *Ποσειδάων*. Apud Pindarum legitur praeter illam epicam formam et dorica *Ποτιδάν* [18]) et aeolica *Ποσειδάν* (v. Ahr. II, 244 sq.). Ab Aeolica forma deductum est adi. *Ποσειδάνιος* Pind. O. V, 21, quam formam etiam in Bacch. fr. 41 tradit cod. Gott. Vrat. D, sed alii vulgarem *Ποσειδώνιον*. In Stes. fr. 49 restituit Bergk vocat. *Ποσειδάν* (codd. habent *Ποσειδῶνα*), quod equidem non probarim, cum, id quod in initio iam dixi, apud Stesichorum nullae aeolicae formae indagari possint. Est igitur aut dorica *Πότιδαν* aut epica *Ποσείδαον* pingenda. Equidem epicam praeferam ob Pindari voc. *Ποσείδαον* (O. I, 75).

II. Geminatam spirantem σ, quam doricam aeolicamque linguam diutius quam ionicam atticamque retinuisse satis constat, chorici nonnunquam asciverunt epicae, ut opinor, linguae auctoritate adducti. Geminant autem σ:

a., in dat. pl. III. decl. terminatione: ε-σσι (ex ε-σϝι): Sim. 44 χερνίβεσσιν, 45 ἀρνύντεσσιν (coni. Schneidewin; codd. ἀραιόν τέ ἐστιν), Bacch. 21 πάντεσσι. Exx. Pindarica v. Peter p. 36 sq.

b., in verborum futuris et aoristis sigmaticis: Sim. 32 ἔσσεται, 36 τελέσσαντες (ob metrum Bergk).

c., in pronominibus: Sim. 32 ὅσσος (ex ὅτιος), sed 5, 17

---

18) Pariter Alcman in fr. 17 Ἀλκμάν, in 71 Ἀλκμάων se appellavit.

ὅσσοι; 10 τοσσάδε (Bergk; sed correctura est dubia). Alcman et τόσσος ὅσσος et τόσος ὅσος (Spiess Curt. Stud. X, 363) usurpat. Exx. Pindd. v. Peter p. 19.

d., in adi. μέσσος: Pind. praeter μέσσος exhibet μέσος (Peter 19); Bacch. 29, Prat. 5 μέσος. Adi. ἴσος vero, quod apud Lesbios est ἴσσος, apud choricos (Ib. 16, Sim. 39 Bacch. 11, Ariphr. Pind. [saepe]) semper simplici sigmate legitur; qua in re consentiunt cum epica lingua et Doriensi (Ahr. II, 99).

III. Praepositionem πεδά, quae et Doricae et Aeolicae est dialecti, posuit Ib. 22: πεδ' ἀναριτᾶν (ex splendida Boeckhi emendatione, codd. παῖδα νήριτον cf. Alc. 48, codd. παῖδ' Ἀχίλλεα pro πεδ' Ἀχίλλεα). Pindarus habet πεδά et μετά (Peter 69), Simonides μετά in vv. μεταβουλία (37, 17), μετάστασις (32), Ariphron μετά (bis), Alcman πεδά (Spiess Stud. X, 371).

Caput II.

De formis ex aeolica lingua ascitis.

In adhibendis formis aeolicis Pindarus aliique praeter Pindarum chorici plerumque Alcmanis (Spiess Stud. X, 374 sq.) exemplum sunt secuti nec tamen, ut ille, σδ pro ζ recipere audebant; etenim illud unice apud Pindarum (P. II, 95) traditum λακτισδέμεν Boeckh suo iure reiecit.

§ 4.

De nasali $\bar{\nu}$ ante $\bar{\sigma}$ vocali $\bar{\iota}$ compensata.

Lesbios nasalem $\bar{\nu}$ consonae $\bar{\sigma}$ antecedentem in vocalem $\bar{\iota}$ mutasse et cum praeeunti vocali in diphthongum coniunxisse satis est notum. Quod Lesbiacae dialecti proprium chorici Alcmane duce arripuerunt, sed inde ab Ibyco latius eo saepiusque usi sunt quam Alcman, apud quem in femininis tantummodo participiorum terminatio —οισα deprehenditur. cf. Spiess Stud. X, 350.

I., Ac primum quidem in femininis part. praes. et aor. II. act. —οισα (ex οντjα) pro —ουσα scripserunt. Pindarum eam formam semper posuisse Peter p. 57 argumentatus est.

Quam Simonidem quoque adhibuisse certo licet concludi e fr. 30 scriptura aliquantulum depravata *στρέφοιαν*, ex qua critici cum contextus verborum participi accus. requireret, consentientes *στρέφοισαν* reposuerunt. Atque haud scio an in fr. 78 *στίζουσα* iure in *στίζοισα* emendemus, praesertim cum in frustillo tam exiguo facillime vulgaris forma irrepere potuerit. Aeolica participia leguntur in Telesillae (1 *φεύγοισα*) et Praxillae (5 *ἐμβλέποισα*) fragmentis. Apud Stesichorum vero habes *κλείουσα* (32) et *ἑκοῦσα* (38 fem. adi. *ἑκών*).

Ad has participiorum formas se applicat substantivum aeque formatum *Μοῖσα*, quae sola forma apud Pindarum (Peter p. 18) legitur. Item in Tynnichi fragmento *Μοισᾶν* exhibetur. In Simonidis vero fragmentis bis occurrit forma vulgaris (46 *Μοῦσα*, 44 *Μουσᾶν*). At hic ipse gen. *Μουσᾶν* nescio an declaret etiam hunc poëtam aeolice *Μοισᾶν* et *Μοῖσα* scripsisse, quas quidem formas ei iamdiu critici vindicarunt. Stesichorus fr. 32 et 44 forma *Μοῦσα* est usus neque in Bacch. 28 *Μοῦσα* est tollenda ob causam supra de huius fragmenti condicione indicatam. Deinde forma *Μοῦσα* exstat in Timocr. 2 et Prat. 5, ubi non potest constitui utrum sit genuina necne, cum alia quae huc pertinent exempla deficiant. In Eumeli prosodio componitur aeolica forma *Μοῖσα* cum vulgari *ἔχουσα*, quarum altera vix potest defendi. In Terpandri vero fr. 6 Arrianus laconicam *Μῶσα*, quae est Alcmanis (fr. 1; 7; 45; 59; 85), Plutarchus vulgarem *Μοῦσα* tradit. Ob illam Arriani scripturam Bergk in Terp. fr. 3 codd. *Μούσαις*, *Μουσάρχῳ* in *Μώσαις*, *Μωσάρχῳ* mutavit; haud scio num iure. Nam fr. 6 pariter atque fr. 5 heroicis versibus sunt conscripta et vulgares potissimum formas (*σοί*, *ἡμεῖς*, *τετράγηρυν*, *νέους*, *ὕμνους*) suppeditant. Denique ex Cram. Ann. Oxx. I, 278, 13: *ἐκ τοῦ μοῦσα καὶ μουσῶ ῥῆμα παρὰ Συρακουσίοις· Ῥηγῖνοι δὲ λέγουσι μοῦσα* (lege *μοῖσα*) . . . . *τὸ Βοιωτικὸν μουσάων* (?)· *τὸ Ῥηγινὸν μοισᾶν* quispiam fortasse concluserit, grammaticum id quod saepius fieri solet (cf. § 5. I a.) *ἐθνικῷ Ῥηγῖνοι* ad Ibycum Rheginum spectasse, cuius ad dialectum temperatam optime aeolica forma *Μοῖσα* quadret. Tum non est opus Ahrentis (II, 106) coniecturis.

II., Deinde in III. pl. ind. praes. et fut. act. coniugationis thematicae usurpant termin. —*οισι(ν)*. Quae terminatio apud Pindarum variat cum dorica —*οντι*, velut *ἄξοισι* [19]) (P. IV, 13) et *ἄγοντι* (P. VII, 12) v. Peter p. 56. Apud Ibycum in una quae restat pers. III. pl. *θαλέθοισιν* (fr. 1) servatur forma aeolica. At in Simonidis fragmentis libri ter tradunt vulgares: *καλέουσιν* (12), *καλέουσι* (31), *κλέπτουσιν* (42). In eiusdem vero poëtae fr. 1 Prisc. cod. A corruptum *ἀποτρεποίσει*, codd. P V corruptius *ἀποτρεπουσει* praebent. Ex cod. A script. Schneidewin restituit *ἀποτρέποισα*. Nec tamen intellegitur, quomodo vocalis *α* in *ει* depravari potuerit. Cum autem inde ab Alexandrinis *ει* et *ι* prorsus aeque a Graecis pronuntiarentur saepissimeque id quod libri (cf. Sapph. 66 *φαισει* pro *φαῖσι*) et tituli affatim docent inter sese confunderentur, Bergki emendationem *ἀποτρέποισι* solam hic esse veram statuo. Itaque haud scio an verum assecuti simus, si in ceteris quoque Simonideis locis formam aeolicam reponimus. In frr. 12 et 42 ob *ν* ephelc. non reduci potest nisi *καλέοισιν* et *κλέπτοισιν*. In fr. 31 autem dubites, utrum *καλέοισι* an *καλέοντι* reponas. Equidem praeferam *καλέοισι*, quo facilius corruptela *καλέουσι* explicetur. In Sim. 5, 14 Bergk *φιλέοισιν* scripsit; sed cum codd. coni. *φιλῶσιν* praebeant, etiam forma coni. soluta (cf. § 10, II 2) *φιλέωσιν* bene ferri potest. — De Bacchylideis quae insunt fr. 27 formis atticis *μαρμαίρουσιν* et *ἄγουσιν* iam supra monuimus. Alia apud choricos desunt exempla.

III., Porro in acc. pl. I. et II. decl. apud Pindarum praeter solitas clausulas —*ας* et —*ους* interdum lesbias —*αις* et —*οις* (ex —*ανς* et —*ονς*) deprendimus. Qui accusativi librariorum culpa e textu propulsi videntur esse, ut ubi pro dativis habebantur solum sint servati. Indagavit eos primus Bergk (ed. III nota ad O. V, 6), enumeravit Peter p. 34.

[19]) Cum term. —*οντι* nunquam assumat *ν ἐφελκυστικόν*, Pindarus ubi syllaba longa opus est vel hiatus fugiendus, posuit —*οισιν*. Nec tamen quod Boeckh (nott. critt. O. II, 78) decrevit Pindarum term. —*οισι* *ν̄* ephelc. carentem non ascivisse nisi ut *κακοφωνίαν* vitaret, mihi probabile est, cum nesciamus, quid Graecorum auribus amoenius, quid turpius sonuerit et cur *ναίοντι* peius quam *ναίοισι* sonet nec Boeckh ipse nec qui eum probat Peter dicere potuerit. Pindarum vero doricam clausulam aeolicae praetulisse concedendum est.

Pariter apud Ibycum inter complures vulgares unus Lesbiacus acc. remansit in fr. 24 παρ θεοὶς ἀμβλακών (ex Bergki egregia emendatione pro codd. παρὰ θεοῖς ἀμβλακών). Suidas vero sub v. ἀμπλακών edit μήτι περὶ θεοὺς ἀμπλακών. Et reapse vulgo ἁμαρτάνειν et ἀμπλακεῖν cum περί c. acc. construuntur. Cum vero usitata illa παρὰ νόμον, παρὰ τὰς σπονδάς etc. comparamus, praep. παρά hic quoque bene cum accusativo coniungi perspicimus. Ibycum sive παρά sive περί utebatur aeolic. acc. θεοίς posuisse elucere mihi videtur.

Praeterea apud choricos vulgares tantummodo exceptis singulis Doricis accusativi pl. reperiuntur.

IV., Denique apud Pindarum lesbb. termm. —αις et —αισα in part. aor. sigm. act. (Peter p. 57 sq.) leguntur. Quas formas Stesichorus ignorat: fr. 7 κεράσας, 8 περάσας. In ceterorum choricorum fragmentis non apparet nisi in Sim. 5, 12 πράξας, pro quo Boeckhio auctore Schneidewin et Bergk πράξαις scribunt, quibus equidem cum illud carmen numeris aeolicis, qui apud Pindarum quoque maxime (Peter p. 5) reconditiores formas suppeditant et aeolicas [20]) et doricas, sit compositum (Schneidew. Sim. rell. p. 18), confidenter assentior. Nec tamen in Bacch. fr. 24 ἀντείνασα esse addubitandum docent quae supra (§ 2, C III) de hoc fragmento diximus. Atqui in adi. πᾶς quod apud Lesbios horum participiorum sequitur analogiam Pindarus aeolica forma abstinet: πᾶς P. I, 46, πᾶσα N. V, 47 al. Item Stesichorus sibi constans πᾶσα (fr. 52) dixit.

V., Postremo Pindarum et Simonidem multoque frequentius post eos Theocritum vel ad verba pura, quae vulgo in —έω, apud Aeoles in —ημι (φιλέω—φίλημι) desinunt, terminationem —οισα vel —οισι(ν), uti P. II, 79 ὀχεοίσαν J. II, 27 Sim. 12; 31, adiunxisse monendum est. In titulis Lesbiis et in poëtarum fragmentis nullae eiusmodi formae deprehenduntur. Quam ob rem choricos poëtas formas horum verborum reconditiores veluti μάτεισαι Sapph. 54, ἐπιῤῥόμβεισι 2, 11 a dialecto choricae poësis alienas existimasse

[20]) Sic in hoc ipso Sim. fr. 5 solas aeolicas formas ἐπαίνημι et ἔμμεναι reperimus.

ideoque etiam in verba pura pervulgatam illam clausulam —οισα et —οισι(ν) transtulisse crediderim.

§ 5.

De geminatione nasalium et liquidarum.

Poëtas choricos Alcmane auctore geminationem liquidarum et nasalium Lesbiacam nonnunquam et ad arbitrium in dialectum suam recepisse videmus. Qui quidem usus cum iam apud epicos inveniatur, si non omnino ad epicae linguae auctoritatem, tamen ad commune epicae et aeolicae poësis exemplum referendus est.

I. De geminata nasali ν.

a., in adiectivis, quae suffixo —νο a substt. neutr. III. decl. in —ες formantur et vulgo in —εινός desinunt.

1., sola vulgari clausula —εινός (ex ες-νος) exhibet Pindarus adii.: *ἀλεγεινός* (semel), *ἐρατεινός* (saepius), *ποθεινός* (saepius), *(σ)κοτεινός* (semel). In Homeri carminibus praeter *ἀλεγεινός* et *ἐρατεινός* legitur *ἐλεεινός*.

2., sola aeolica terminatione ponuntur a Pindaro: *κελαδεννός* (at Hom. semper *κελαδεινός*) et *φαεννός*[21] (Hom. *φαεινός*). Praeterea Homerus constanter dicit *ἀργεννός* et *ἐρεβεννός*, quorum alterum ceteroqui semel in Eur. Iph. A. 574 (cant.), alterum saepius apud Hesiodum occurrit.

3., Per vices leguntur apud Pindarum undecies *κλεινός* et ter *κλεεννός*, apud Stes. fr. 5 *κλεινᾶς*, contra miro modo in scol. adesp. apud Bergk. p. 1288 nr. 5 *κλεεννᾶς*. Apud Homerum deest, ap. tragicos est *κλεινός*.

Ex ceteris choricis afferri tantummodo licet *ποθεινός* (Sim. 71, Licymn. 4). Atque Ibycum adiectivis *ἀργεννός* et *ἐρεβεννός* usum esse certo mihi testari videtur Etym. M. 135, 47 et Cram. Ann. Oxx. I, 31, 32 nota: *ἔθος τῇ τῶν Ῥηγίνων διαλέκτῳ τὸ ι τρέπειν εἰς ν· τὸ γὰρ σπείδω* (??) *σπένδω καὶ τὸ ἔνδοι ἔνδον καὶ τὸ ἐρεβεινός ἀπὸ τοῦ ἔρεβος*

---

[21]) Quae forma inde a Pindaro apud poëtas videtur fuisse pervulgata, quam Soph. (Ai. 396 *φαεννότατον*) non solum in cantilena, sed vel in senario (Ai. 857 *φαεννῆς*) saepiusque Euripides (cf. Gerth, Curt. Stud. I, 2, 268) habeant.

ἐρεβεννός· οὕτως τὸ ἀργεινός ἀργεννός· οἱ δὲ Σικελοὶ τὸ ἐναντίον· τὸ μὲν γὰρ σπένδω σπείδω (??) *λέγουσι καὶ τὸ οὐ μέντον οὐ μέντοι,* quocum conferas Etym. M. 662, 30: *οἱ Συρακούσιοι τὸ ἔνδον ἐνδοῖ λέγουσιν, ὡς παρὰ Θεοκρίτῳ· ἐνδοῖ Πραξινόα* (XV, 1). Quo ex altero testimonio sequitur, ethnico *Σικελοί* grammaticos non spectasse nisi ad Theocritum. Itaque ethnicum *Ῥηγῖνοι* quoque de Ibyco Rhegino accipiendum esse mihi probatur; nempe formae *ἀργεννός* et *ἐρεβεννός* Rheginorum dialecto doricae prorsus repugnant, optime autem conveniunt Ibyci dialecto mixtae. Quare quod Ahrentis (II, 106) placitum ‚sine ulla dubitatione *Ῥηγίνων* nomen ex *Ἀργείων* (!) corruptum est' plane addubito, ignoscat velim mihi ille vir doctissimus. Quae enim affert Etym. M. exempla ad illam Argivi sermonis proprietatem notam, qua consonarum $\overline{\nu\sigma}$ coniunctio primaria non immutatur, omnino non spectare possunt, quandoquidem in nulla illarum vocum unquam litterae $\overline{\nu\sigma}$ exstabant coniunctae. Apud Argivos autem illa adii. vel in *—εινος*, ut in Doride mitiore, vel in *ηνος* [22]), ut apud Lacones, exire debebant.

b., Huc praeterea referenda sunt adii. *ἐραννός* (ll. falso *ἐρανον*) Sim. 45 et *ἐννοσίφυλλος* 41. *Ἐραννός* (ex *ἐρας-νος*) ceteroqui omissis Homero et Alexandrinorum epicis in Theocr. XXVIII, 21: *Μίλλατον ἐραννάν* et Ar. Lys. 1296: *Ταΰγετον ἐραννόν* observavi. Formae aeolicae *ἐννοσίφυλλος* (ex *ἐν-Ϝοσι-φυλλος*), quamquam Homerus semper ionicam *εἰνοσίφυλλος* posuit, tamen Simonides exemplum repetere potuit ab epico Neptuni epitheto *ἐννοσίγαιος* plane pariter formato. Denique huc pertinet *ἐννοσίδας* i. e. *ἐννοσίγαιος* (Pind. P. IV, 33; 173).

---

[22]) Conferas Alcm. 2, 9 *φαηνάν* (Baunack, Curt. Stud. X, 131). Nec minus Ahrentis (II, 158 n. 7) rationem, qua in Choerobosci testim.: *ἐρατεινός διὰ τῆς $\overline{\varepsilon\iota}$ διφθόγγου· οἱ γὰρ Δωριεῖς ἐρατεννὸς λέγουσιν ὥσπερ ποθεινός, ποθεννός* pro ethnico *Δωριεῖς* festinanter scripsit *Αἰολεῖς*, iniustam habeo. Nam fortasse respicitur ad Alcmanem, cuius dialectus saepius a grammaticis (cf. Apoll. de synt. 279, 25; Gramm. Leid. 635 al.) simpliciter dorica vocatur. Quas formas ab Alcmanis dialecto non abhorrere clare testatur *Κλεννά* (II, 10; III, 27 cf. Baunack Stud. X, 132), Gratiae nomen, quae vulgo a Spartanis *Κλῆτα* (Paus. IX, 35, 1; III, 18, 4) appellabatur. Ceterum grammaticos saepius pro poëtae nomine parum diligenter populi nomen posuisse ex multis ab Ahrente ipso citatis eorum testimoniis (v. I, 118 n. 11; 81 n. 10; II, 272 n. 8 al.) apparet.

II., De geminata littera μ.

a., in pl. pron. I. et II. pers.: In lingua epica praeter vulgares et ionicas formas saepius quoque in Aeolum morem geminatae: *ἄμμες*, —, *ἄμμι(ν)*, *ἄμμε*, *ὔμμες*, —, *ὔμμι(ν)*, *ὔμμε* deprehendimus, quas ne attici quidem poëtae prorsus repudiant. Pindarus autem non usurpat nisi aeolicas (Peter 51). Semel tantum (J. II, 30) *ὑμῖν* offerunt libri; num recte, dubitem. In Sim. 5, 18 Hermann traditum *ὑμῖν* metro flagitante in *ὔμμιν* emendavit. In adesp. 140 a Meinekio Simonidi vel Bacchylidi vindicato scribitur: *ἄμμιν* (V *ἀμμῖν*, vulgo *ἁμῖν*).

b., in infinitivo verbi subst. *ἔμμεναι*. Qui quidem perhibetur in Sim. 5, 9. 10, Prat. I, 9, adesp. 39, 12. Pindarus (Peter 65) habet *ἔμμεναι*, *ἔμμεν* semelque *εἶναι*, quod Christ cum Schneidewino in *ἔμμεν* correxit.

III. De geminata liquida λ.

In Sim. 49 traditur mirus primo obtutu imperat. *ἔλλαθι* (schol. Ven. B ad Il. *κ*, 252), quem forsitan respicientes grammatici notant: *σπανίως τὸ ἰῶτα ἐκτεταμένον τρέπουσι* (*οἱ Αἰολεῖς*) *εἰς ε*, *οἷον ἵλαθι ἔλλαθι χίλιοι χέλλιοι* (Et. Gud. 566, 26) et *εἴλαθι· οἱ Αἰολεῖς γὰρ ἔλλαθι λέγουσιν* (Choerob. Bekk. ann. 1366).

Curtius Verb. I, 173 hunc imperat. a st. *ἱλα* seiungit fortasse motus argumentatione Ahrentis (I, 284), qui vix quemquam sibi persuasurum esse eosdem Aeoles et *ἴλλαος* et *ἔλλαθι* dixisse et imperativo *ἵλαθι* vel *ἵληθι* non appellari nisi deos professus est. Cum vero hic non dii, sed Hecuba et in Callim. fr. 121 imperativo *ἔλλατε* non dii, sed Gratiae implorentur, has formas cum homerico *οὖλε* coniunctas significatione a *χαῖρε* non differre docent Curtiusque a stirpe *σελϝα* (Verb. I, 173) et *ὀλυ*, *ὀλϝ* (Et.[4] 374) posita derivat. Nec tamen causae a litteris sumptae cogunt, ut *ἔλλαθι* ab *ἵληθι* segregemus et cum Ahrente in Aeolide iuxta *ἔλλαθι* adi. *ἴλλαος* (Choerob. 225, 6 *Αἰολεῖς ἴλλαος καὶ οὐχὶ ἔλλαος*) exstare nequisse contendamus. Nam inter copiam aeolicorum verborum in —*ερρω* unum etiam deprehenditur *οἰκτίρρω* (ex *οἰκτερjω*) et nonnunquam vel in attica lingua vocalis $\bar{\varepsilon}$ in $\bar{\iota}$

attenuatur (cf. ἴζομαι et ἕζομαι a st. ἑδ, ἴλλω et ἐλύω, εἴλλω a st. Ϝελυ. alia exx. v. Curtius Et.[4] 701 sq.).

Cum porro Hesychius glossas diphthongo ει insignes: εἴληθι· ἵλεως γίνου et εἰλῆς εἶ· ἵλεως εἶ i. e. εἴλησι· ἵλεως ᾖ servet, nulla difficultate formantur a st. σελϜα: aeol. ἔλλαθι, ἔλλατε, ἴλλαος (voc. ε in ι attenuata). ion. εἴληθι, εἴλῃσι. boeot. εἴλαθι (a Choerob. traditum) dor. ἵλαθι. att. ἱλεό-ομαι (Plat Leg. VII, 804 B) vel ἱλέομαι (Aesch. suppl. 110; 121).

Quibus cum formis prorsus congruunt vocis χίλιοι formae notae: aeol. χέλλιοι; ion. et boeot. χείλιοι; dor. mit. et att. χίλιοι.

Quod vero ad significationem attinet, haud scio an ex eadem st. σελϜα utraque et: propitium esse et salvere prodire possit. Profecto mirum est, imperat. ἵληθι tantum ad deorum allocutionem reservatum fuisse. Nec Simonideum fragmentum tantum testari puto, cum eam in tantulo frustulo certo constitui sit difficillimum. At sive ad conciliandas sive ad separandas stirpes sententiam ferimus, id constat: ἔλλαθι esse aeolicam formam Bergkiumque peccare, qui ex arbitrio et per silentium ἵλαθι in textum inseruerit.

§ 6.

De reliquis vocibus aeolicis.

I., In Sim. 5, 19 exstat ἐπαίνημι, quod Socrates (Plat. Prot. 345 C) dicit de industria posuisse poëtam ob Pittacum Lesbium. Item iam Hes. op. 685 αἴνημι similiterque Pind. fr. 132, 4 αἴτημι. Neque Ibyco hanc aeolicam verborum formationem, de qua v. Curti Verb. I, 352 sq., ignotam fuisse infra formis νόησι et φίλησι demonstrabimus.

II., Aspiratae φ et θ permutantur in nota illa v. φήρ pro θήρ (Sim. 59, ubi de leone sermonem esse Emperio duce censet Bergk). Pindarus vero aeque atque Homerus hac aeolica forma non utitur nisi de Centauris, feras autem θῆρας nominant neque aliter Alcman 60 θῆρες, 20 θηρῶν, quamquam hic φοίνα pro θοίνη (24) dixisse perhibetur. In Ariphronis fr. exstat θηρεύομεν et in adesp. 39 θηρός. Denique huc pertinet φλάω (Pind. N. X, 68) pro θλάω.

III., Pindarus semper aeolicum ὄνυμα eiusque derivata (v. Peter 17 sq.) pro ὄνομα usurpat, Ibycus vero in fr. 10 ὀνομακλυτός, quae vox iam in Il. K, 51 et hym. Ven. 111; 146 agnoscitur.

IV., Pindarus ubivis aeolicodoricum adi. ἐσλός (Peter 18) posuit, contra Sim. 5, 9 et Ib. 19 ἐσθλός. In Sim. fr. Boeckh et Schneidewin ἐσλός correxerunt, contra quos Bergk recte monuit: forma ἐσλόν Pittacum usum esse credibile est, Simonides utram praeoptaverit, incertum.

V., Pindarus saepius praepositione ἐν c. acc. pro εἰς (utraque ex ἐνς nata) utitur. v. Peter p 68. Ceteri autem chorici ignorant. Quam praepositionis formam, quae et apud Dores septentrionales et apud Boeotos Thessalosque (Ahr. II, 360) erat in usu, unde Pindarus acceperit pro certo nequit constitui, verum tamen verisimilior est Peteri (p. 6), quam Ahrentis sententia. — Praeterea, uti epici, formam ἐς semper ante consonas, saepe quidem ante vocales, εἰς vero ante vocales ubi longa requiritur syllaba posuit pariterque Timocreon (fr. 1 ἐς πατρίδα et εἰς ὄλεθρον). Ceteri vero et ante vocales et ante consonas semper ἐς praebent: Stes. 8 (bis); Ib. 2 (bis); Prat. 3; Sim. 13; 23; 36; 58 (bis); 78; 5, 16; 48; 80. Etenim in Sim. fr. 5, 16 metrum ἐς postulat et in frr. 48; 80 scriptura est corruptior, quam cui fides possit haberi.

VI., Verborum denique formationum aeolicarum, quae sunt apud Pindarum usitatae, ut τίθεις pro τίθης (P. VIII, 11), δίδοι pro δίδωσι, part. perf. act. πεφρίκοντας, κεχλάδοντας (v. Peter 58), in ceterorum choricorum fragmentis nulla exstant exempla.

Caput III.

De formis e dorica lingua ascitis.

Poëtas choricos inde a Stesichoro in carminum dialectum non recepisse nisi formas mitiori Doridi proprias iam supra monui. Cuius rei causa posita est in universali eorum poësis natura ab unius cuiusdam regionis consuetudine aliena.

§ 7.

De dorismis in libris manifeste traditis.

I., Doricam pervetustamque illam terminationem verbalem 3. pl. temporum primariorum —*ντι* valde amat Pindarus usus formis *φέροντι, τηρέωντι, ἐντί, φαντί,* multis aliis. In ceterorum fragmentis reperiuntur exempla haec: Sim. 57 *θραύοντι,* Bacch. 13, 12 *βρίθοντι,* Timocr. 3 *ἐντί* (bis), ex quibus elucet choricorum consensus.

II., Coniugationis in —*μι* 3. sg. praes. act. Pindarus (Peter 62; 65) praeter vulgarem —*σι* etiam veterem quam lingua servavit Dorica clausulam —*τι* in v. *ἐφίητι* (J. II, 9) adiunxit. Aeque Sim. 18 *δίδωτι,* sed Stes. 35 *τίθησι* (cf. Pind. P. II, 10) et Bacch. 24 *ἵησι* (ob causam saepius prolatam) dixerunt.

III., Ex Doride praeterea deprompserunt chorici pronominum personalium formas has:

1., pron. 2. pers. nom. *τύ* et dat. *τίν* Pind. v. Peter 49 sq.; dein nom. *τύγε* ter Timocr. 1, qui in genuina Doride *τύγα* proferebatur (Ahr. II, 248). Dat. *τοί,* qui dorico aequat, ex epica lingua chorico assumpsisse credi licet.

2., pron. 3. pers. acc. sg. *νίν* Ib. 2; 22; Bacch. 29 Pind. (saepissime iuxta *μίν*). Quin etiam pro acc. pl. *νίν* usurpasse Bacch. (fr. 8) et Pind. (fr. 3) Apollonius Dysc. de pron. 368 A docet. Attamen e frustulis quae apposuit nihil certi concludi potest; quare lis est, utrum illius grammatici testimonio fidem habere debeamus necne.

IV., Apud Pindarum vulgares formae particularum *ὅτε, τότε, ποτέ* etc. vulgo leguntur, bis tantum dorica *τόκα* (O. VI, 66 et N. VI, 10); apud Ibycum semel *ὅκα* (fr. 4). In ceterorum choricorum fragmentis nunc non inveniuntur nisi vulgares: Sim. 41 *τότε,* 32; 36 *ποτέ,* Bacch. 36 *ἄλλοτε,* Stes. 35; 52 *ποτέ.* Huc etiam referenda est Timocreontis forma *τύγε* pro *τύγα.*

V., Tametsi illos sex infinitivos in —$\overline{\varepsilon\nu}$ desinentes: *γαρύεν*[23])

[23]) Alcman utrum subinde et inff. correptos in —$\overline{\varepsilon\nu}$ an semper laconicos in — *ην* — id quod mihi probabilius esse videtur — adhibuerit, diiudicari non potest, cum metrum nusquam correptam flagitet syllabam. v. Spiess Stud. X, 348; 356.

πορεύεν, ἀγαγέν, τράφεν, κεραΐζεν in Pindari epiniciis tum cum ex vetere in novam litteraturam transferebantur a transscribentibus solo errore relictos esse et Pindarum ubivis non usum esse nisi infinitivis in —*ειν* Christ (Philol. XXV, 628 sq.) clare demonstravit, tamen correptos acc. pl. 2. decl. in —*ος* nemo removere potest. Etenim quamquam vel hic tres (*ἐσλός* N. I, 24, *ὑπερόχος* N. III, 24, *ἡμένος* N. X, 62) per errorem vel incuriam ex antiqua litteratura restitisse contendi licet, tamen in duobus (*νᾶσος* O. II, 71, *ἐσλός* N. III, 29) metrum brevem syllabam necessario postulat. In O. I, 54 *κακαγόρος* ancipitem quidem syllabam admittit, sed Christ et Bergk *κακαγόρους* proposuerunt. Ahrentis (verh. d. Gött. Phil. vers. 76) opinionem, qui Pindarum annumeratis duabus formis *ἐν* pro *εἰς* et *περ'* pro *περί* hunc usum perinde atque Hesiodum ex delphica dialecto repetiisse professus est, iam Peter p. 5 sq. suo iure attentavit. Nam Hesiodum quamvis acc. pl. 1. decl. *ᾰς* corripuisse sit concedendum, correptionis acc. pl. 2. decl. usum Ahrens ex illo Herculis scuti exemplo *λαγός* (302) commendare non debuit, quippe cum Herculis scutum non esse Hesiodi, sed posterioris cuiusdam poëtae viris doctis nunc sit persuasum. Atque amphictyonum titulus quo nititur Ahrens admodum est dubium, num sit delphica dialecto (Boeckh C. I. G. I, 808) conscriptus, cum iam reliqui tituli Delphici illis formis careant. — Apud Epicharmum (Ahr. II, 172) autem poëtam Siculum, Pindari fere aequalem, acc. pl. et 1. et 2. decl. correpti reperiuntur: fr. 5 *μωρᾰ́ς*, 68 *πλευρᾰ́ς*, 82 *σφύᾰς*, et 94, 14 *τὸς ἀνθρώπους*, 98, 4 *τὸς ἄλλους*.

Deinde Stesichorus fr. 5 *παρὰ παγᾰ̀ς ἀπείρονας* sine dubio acc. pl. 1. decl. corripit. Atque in Stes. fr. 1 Et. Gud. scriptura *ἑλιόμενος* (Bergk *ἑλισσομένους*) et in Ib. 7 scriptura *ἄυπνος*[24]), ubi acc. pl. postulantur, fortasse quispiam permoveatur, ut etiam illic accusativos correptos adfuisse putet.

Itaque poëtae Siculi primi correptos acc. pl. secundae

---

[24]) Cum nominativo *κλυτὸς ὄρθρος* nullum, cum acc. *ἀηδόνας* vero coniunctum aptissimum praebet sensum. cf. Schneidewin Ib. Rheg. rell. 122.

decl. ex patrio sermone in litteras induxisse videntur fortasse permoti accusativorum pl. primae decl. exemplis, quae iam Hesiodus et Tyrtaeus (4, 5 δημότᾰς ἄνδρας, 7 δεσπότᾰς) et Alcman (33 πεδὰ τὰς τροπάς et forsan 76 ὥρᾰς) suppeditant.

Qua re fit, ut ratiocinationi, qua Pindarum Siculos imitatum poëtas illos accus. posuisse statuimus, plus iuris probabilitatisque quam Ahrensianae illi inesse arbitrer, maxime cum Stesichorus choricae poësis tamquam dux eos scripserit Pindarusque diutius in Sicilia sit versatus.

VI., Etym. M. 703, 28 affert ex Ibyco (fr. 58) glossam: ποικίλα ῥέγματα explanans ῥέγμα voce βάμμα i. e. purpureum vestimentum. Atque huc spectare videtur Hesychi glossa: ῥέγματα· βάμματα. Cuius quidem vocis stirps ῥεγ (praes. ῥέζω = βάπτω v. Curt. Et.[4] 185) in ceteris dialectis graecis oblitterata in Siculorum dorismo adhuc videtur viguisse. Etenim ex Epicharmo Photius et Suidas tradunt ῥέξαι· βάψαι. Porro ab Et. M. l. c. traditum ῥαγεῖς = ῥηγεῖς i. e. βαφεῖς doricam prodit originem. Ceterum valde mihi arridet Ahrentis coniectura in Sim. 37, 13 ῥεγμάτων pro codd. ῥημάτων sensui parum apto.

VII., Ibycus teste Athenaeo II, 57 D pro ᾠόν formam ὤεον (16), eandem eodem teste Epicharmus fr. 103 Ahr. posuerunt; itaque eam si non per totam Doridem mitiorem certe in Siculorum sermone usu venisse colligendum est. Qua in quaestione conferas Hesychi glossam ὤβεα· τὰ ᾠά· Ἀργεῖοι.

VIII., In Timocr. I, 6 adi. σκυβαλικός traditur, quod cum ἀργυρίοισι σκυβαλικοῖσι rhythmo adversetur a Bergkio allata Hesychi glossa κυβηλικὸν τρόπον recte in κυβαλικός emendatur. Comparanda est Hesychiana quae subsequitur glossa κυβηλιστάς· καὶ κοβάλους καὶ (cod. τὰς) κακούργους, ex qua apparet κυβαλικός idem esse quod κοβαλικός (cf. Hesych. κόβαλος· πανοῦργος· κακοῦργος). Conspicitur igitur in κυβαλικός pro atticae linguae ο vocalis υ, qui usus doricae dialecto adscribendus esse videtur, quandoquidem vel ὄνυμα pro ὄνομα apud Dores (Ahr. II, 123) in usu fuisse testimoniis confirmatur.

§ 8.

De dorismis dubiis.

I., Complurium Doricarum quibus Pindarus in epiniciis usus est formarum aqud ceteros choricos desunt exempla. Huius generis sunt: futura et aoristi verborum in —ζω ξ littera insignes, qui apud Pindarum (Peter 59 sq.) saepenumero leguntur atque hanc in omni Doride pervulgatam formationem neque illos respuisse verisimile est; dein verbi *πίπτειν* aoristus pristinum *τ* retinens: *πετοῖσαι, πετόντεσσι* etc. v. Peter p. 19; porro particulae *ὦν* et *αὖτις*; inf. perf. *γεγάκειν;* verbum *ἴσαμι* praeter *οἶδα;* dorica flexura nomm. prr. uti *Δεῖνις, Δείνιος;* dat. pl. *φρασί*; pauca alia.

II., Nonnullae autem exstant voces, in quibus dissedisse a Pindaro ceteri poëtae videntur; sunt vero hae:

1., *σκιερός* Ib. 1., at Pind. O. III, 14; 19 *σκιαρός*. In v. *ἱερός* vero Pindarus et ceteri (Sim. 18 Stes. 8 Timocr. 1) consentiunt nisi quod Bergk apud Simonidem *ἱρός* proposuit. Quin etiam Alcman fr. 46 *ἱερός* habet, etsi Dores *ἱαρός* dixisse constat. Consimiliter dicunt Telesilla *Ἄρτεμις* et Alcm. 101 *Ἀρτέμιτος*, quamquam Dores (Ahr. II, 114) *Ἄρταμις* pronuntiabant.

2., *ἑωςφόρος* Ib. 42, quod iam in Il. *Ψ*, 226 legitur; at Pind. J. IV, 24 *ἀωςφόρος* saepiusque *ἀώς* pro ep. *ἠώς* et vulg. *ἕως*.

3., *ὄχος* Ib. 2 metro tuente, sed Pind. *ὄκχος* Dorum more; cf. Stes. 7 *σκύπφειος* (Casaubonus, Bergk pro *σκύφειος*).

4., *ὥστε* Ib. 4, sed *ὧτε* Pind.

5., *Θέμιδος* Bacch. 29, quem genetivum Bergk ad Pindari exemplum (Peter 36 not.) haud scio num iure in dor. *Θέμιτος* mutandum esse suspicatus est.

6., In Sim. 40 *ὄρνιθες* et 58 *βλεφάροις* traduntur, quas formas in doricas *ὄρνιχες* et *γλεφάροις* ob Pindarum (Peter 43 et 18) transcripsit Schneidewin, reliquit vero *ἑλικοβλεφάρου* 18 propter Pindari eandem formam (P. IV, 172; fr. 100, 5). Quam eius mutationem attrectare audeo respiciens ad Bacch. 13 *βλεφάρων* et Ib. 2 *βλεφάροις* et 5 *ἀγανοβλέφαρος* quae formae eodem quo apud Simonidem iure cor-

rigendae ei erant, id quod reapse Boeckh in Bacch. 13 molitus est. At vocis ὄρνις casus obliquos poëtas Dorum more declinasse Simonidemque fr. 40 ὄρνιχες scripsisse forsitan credideris, cum iam Alcmanem fr. 67 ὀρνίχων dixisse videas.

Extremo loco commemorarim etiam, ne Pindarum quidem in dialecticis formis usurpatis ubivis cum ceteris choricis fecisse. Legitur enim:

7., In Ib. fr. 24 stirpis μλακ (v. Curt. Et.[4] 456) dor. part. ἀμβλακών consona β interiecta; at Pindarus semper huius stirpis formas consona π instructas ascivit: ἀμπλακών O. VIII, 67; ἀμπλακία saepius; ἀμπλάκιον P. XI, 26.

8., In Stes. fr. 27 μύῤῥινα; pro quo critici μύρσινα ediderunt, id quod equidem improbo: nam Dorienses sicuti Atticos litteras ρσ aliquoties in ρρ assimilasse liquet. v. Ahr. II, 102. Pind. J. VIII, 67 vero subst. μυρσίνα est usus.

Chorici poëtae multo maiorem verborum figurarumque copiam quam omnes poëtae posteri exceptis Alexandrinis ex ingenti thesauro iugique epicae poësis fonte hauserunt. Itaque Hermanni iudicium, qui fundamentum choricae poësis esse linguam epicam dixit, summo opere valet. Atque quamvis vocibus fere semper terminationes indiderint vel doricas vel aeolicas, in stirpibus eos non ita raro retinuisse epicoionicos sonos et cognovimus (cf. § 2, A et C) et cognoscemus. Aliis vero in rebus, uti in contrahendis et non contrahendis syllabis, Dorismus choricorum temporibus cum epica lingua consentiebat. Attamen in contrahendis syllabis epicae linguae praevalere auctoritatem monendum est, quippe cum illae non coalescant nisi ad epicae linguae exemplar.

Caput IV.

De vocalium concursu intra voces.

Binae vocales a choricis non minus raro quam ab Homero in unam syllabam coartantur. Contractionis vero loco saepius

quae illi antecedit synizesis apud eos reperitur. Qui vero est proximus contractionis gradus assimilationem vocalium apud epicos in verbis in —αω perusitatam chorici fugiebant. Semel tantum Ibycus eam in participio παμφανόων (fr. 3 σείρια παμφανόωντα cf. Il. Θ, 435 saepiusque ἐνώπια παμφανόωντα) ponere ausus est.

§ 9.

De nominum formis solutis et contractis.

I. Adiectiva in —εος, quae ex principali —ειος extrusa vocali ι facta sunt, nunquam contrahuntur, saepius autem synizesin patiuntur. Synizesis exempla apud Pindarum quattuordecim (Peter p. 30), apud Simonidem ex quattuordecim locis unum fr. 57 χρυσέας (ll. falso χρυσᾶς) leguntur. Stesichorus exhibet eiusmodi adiectiva tria (fr. 1; 8; 28), Ibycus quinque (1, 6; 1, 9; 2; 5; 16), Bacchylides tria (13, 3; 13, 9; 28), Phrynichus unum (2) neque ulla subeunt synizesin neque contractionem. Unica enim forma contracta πορφυρᾶ (Sim. 25) iam metrica ratione reprobatur.

Huc sunt trahenda etiam substt. 2. decl., quorum ante exitum vocalis ε vel ο posita est: Pind. habet ὄστεον, νόος, πλόος, ῥόος, alia; Ib. 1 βορέας; Sim. 5; 57 νόῳ; 42 νόον; consentit Alcm. fr. 42 νόον. — Vox θεός denique apud Simonidem ex octo locis semel (5, 21 θεοί), apud Bacchylidem ex tribus bis (1 θεός; 13, 3 θεοῖσιν) synizesi afficitur.

II. Non contrahuntur plerumque vocales in vocabulorum, quorum stirps in σ litteram exibat,

genetivo sing.: Sim. 8 Πολυδεύκεος, sed in 5, 17 εὐρυέδους vocales coibant. Timocr. 1 Θεμιστοκλέος [25]), 2 μέλεος. De ἀφανοῦς (Pind. fr. 191) dubitari licet. v. Peter p. 38. Quin etiam epicoionica contractio apparet in Ἀριστοφάνευς (Pind. N. III, 20) cf. Alcm. 72 σκάφευς (coni. Bergk).

---

[25]) Hermann Θεμιστοκλεῦς proposuit eumque morem observans in eiusdem fragmenti v. 5 Hartung Τιμοκρεῦντα pro Τιμοκρέοντα. Et re vera Rhodios in Ionum sibi vicinorum modum vulgo vocales εο in ευ contraxisse tituli testantur (cf. Ahr. II, 213 sq.). Quin etiam formam nominis propr. miram Λευτυχίδας (cf. Hdt. 6, 65 al.) Rhodios inde assumpsisse hoc Timocreontis fragmentum docet. Neque tamen Hermannum Hartungiumque sequar, cum illa contractio apud choricos sit satis rara. Ceterum eis tunc in fr. 2 μέλευς erat scribendum.

accusativo sing.: Sim. 41 μελιαδέα (cf. Pind. P. IX, 37), Bacch. 39 δονακώδεα, at fr. 19 ἀπενθῆ.

Pindarus exhibet modo contractas modo solutas formas (Peter 39).

nominativo et accusativo pl. neutr.: Stes. 8 βένθεα, 50 κήδεα, Bacch. 13, 2 ἄνθεα, 8 ἀμφάκεα ἔγχεα, ξίφεα, Prat. 1, 4 ὄρεα, Licymn. 2 ἄχεα. Pindarus consentiens cum Alcmane (Spiess Stud. X, 354) et diductam et contractam posuit formam; v. Peter 38.

genetivo pl.: Sim. 46 μελέων; Bacch. 14 ἐπέων, 29 ἀχέων, 46 δυσμενέων; Ariphr. τεκέων; Licymn. 1 ἀχέων. Apud Pindarum (Peter 29) subinde synizesis efficitur. — Stirpis κρέας vero gen. plur. κρεῶν (cf. Od. ο, 98) contractus est in Cydiae fragmento 1.

III. Stirpium adiectivorum in —ς usum secuntur eorum adverbia in — εως: Sim. 5 ἀλαθέως, ἐμμελέως, 13 ἀεικέως; Ib. I, 10 ἐγκρατέως (corr. Hermann); semel Pindarus praeter morem εὐτυχῶς N. VII, 90.

IV. Adiectiva in —αεις et —οεις non minus quam in lingua epica contractionem nec tamen synizesin aversantur apud Pindarum (cf. Peter 30). Ceterorum quae exstant exempla statim appingam: Sim. 53 δινᾶεντα; Bacch. 35 φωνάεντα, 27 αἰγλήεντα. Sim. 30 ἀνθεμόεν, 245 οὐατόεντα, 30 κεροέσσᾳ (restitutum e corrupto κερασασα).

V. Sequentem vocalem ι cum vocali antecedenti saepius non in diphthongum coniunxerunt, maxime in suffixis —ιος et —ιδης. Voces vero eiusmodi omnes ex lingua receperant epica: Stes. 8 παΐς (scr. Schneidewin), 50 Ἀΐδας; Ib. 13 Μενελαΐς, 1, 8 Θρηΐκιος (cf. Pind. P. IV, 205 et adesp. 101); Sim. 23 κληῗδος (cf. Pind. P. IX, 39 κλαΐδες, P. VIII, 4 κλαῗδας, quae vox in recentiore Doride audit κλᾴς, κλᾳδός; v. Ahr. II, 140), 248 ὀϊστός (ex ὀϝιστός a st. ὀϝι scrt. vi), item Pind. O. II, 90; IX, 12 semperque Homerus. Bacch. 29 ἀρηΐφιλος[26]), cf. Alcm. I, 6 Ἀρήϊος; Prat. 1 Ναϊάδων; Ariphr. βασιληΐς. — Contra coëunt litterae: Bacch. 40 δᾳδοφόρος (cf. Pind. fr. 57 δᾴς; Hom. semper δαΐς), 14 ῥᾷστον,

---

[26]) Dativum vero habent Ἄρει (J. VIII, 37; Sim. 43), non epicum Ἄρηϊ.

cf. Pind. O. VIII, 60 *ῥᾴτερον*, sed Hom. *ῥηΐστος;* Timocr. 1. *λῷστον;* Phryn. 2 *παρῇσι* (scr. Bergk, codd. *παρηΐσι*); Lasus *Αἰολῇδα* (Bergk, codd. *Αἰολίδα*), cf. Pind. N. III, 79 *Αἰολῇσι.* — Dativi sing. plerumque contracta legitur forma, diducta autem restat in Ib. 2 *γήραϊ*; Sim. 37 *Περσέϊ* (Schneidewin, vulgo *Περσεῖ*) saepiusque apud Pindarum (v. Peter 39). — Addo denique hoc loco statim formas verbales: *παρᾴϊξαν* Sim. 23, sed Ib. 1 *ᾄσσων* (Bergk ob metrum, codd. *ἀΐσσων*) cf. Pind. N. VIII, 40 *ᾄσσει;* epice constanter *ἀΐσσω.* Dein Lamprocl. et Phryn. 1. *(ποτι)κλῄζω* (scr. Bergk, codd. *κληΐζω*).

VI. Voces eae quae principio digamma in fronte habebant cum *α* privativo cum componuntur contractionem non ineunt: Stes. 74 *ἄϊος* (mutus); Ib. 2 *ἀέκων*, 7 *ἄϋπνος*; Bacch. 34 *ἀεικέλιος*, 46 *ἀϊδής*; Pind. *ἀελπτία, ἄϊσος, ἄϊδρις, ἀϊδροδίκας* v. Peter 26.

VII. Grammaticus Etym. M. 692, 25 (cf. Sim. fr. 241) in *π ρ ῷ ρ α* *ι* subscriptum vult et multa de vocis etymo et diastasi hariolatus pergit: *παρὰ τῷ ποιητῇ κυανοπρωΐρους καὶ παρὰ τῷ Σιμωνίδῃ κυανοπρώϊραν* (M *κυανοπρώηραν*) . . . *ὁ δὲ Ἡρωδιανὸς διὰ τῆς* *ει* *διφθόγγου γράφει πρὸς τὸν χαρακτῆρα τῶν διὰ τοῦ* *ειρα*, *οἷον δότειρα, βότειρα, σώτειρα κτα, οὕτως καὶ πρώειρα* (cf. Et. M. 318, 50).

Ante omnia notandum est, in hoc testimonio litteras *ει, ι, η* quippe quae tunc sonis concordarent inter sese confundi: *πρώειρα, πρώϊρα, κυανοπρώηραν.*

Tum vero reapse vocem *πρῷρα* ex *πρώειρα* coaluisse Ebel et Savelsberg (K. Z. VI, 212; XXI, 136) demonstrarunt; potest enim haec quasi ratio subduci:

pra-vān : *pra-varī = *πρώϜων* [27]) : *πρώ-Ϝερι-α*
pī-vān : pī-varī = *πίϜων* : *πίϜερια*

πρώων : *πρώειρα* = *πίων* : *πίειρα.*

Πρώειρᾰ (contr. *πρῷρα*) igitur fem. adi. *πρώων* (contr. *πρών*) est et re vera adiectivi vice fungitur Od. *μ*, 230 *νηὸς πρῴρης*, sed mature *πρῷρα* et *πρών* in substantivorum ordinem recepta sunt.

Dein in loco Homerico (*γ*, 299), ad quem solum pro-

[27]) *ΠρώϜονες* in Alcm. 62 *πρώτονες* sibi detexisse videtur Baunack Stud. X, 132.

vocare potuit grammaticus, ex omnium librorum auctoritate *κυανοπρῴρείους* legitur, cum praeterea tantummodo obveniat genetivus *κυανοπρῴροιο* nominativi *κυανόπρῳρος*. At adi. —*πρωειρειος* vel contr. —*πρῳρειος* ob insolentem formationem summae est offensioni, qua de causa iam Cobet (oratio a. 1847 p. 130) ex Herodiani testimonio Homero reddidit formam *κυανοπρωείρους* eamque suo iure. Tunc omnia liquent. Homerus adiectivi *κυανοπρώειρος* exhibuit semel formam solutam *κυανοπρωείρους*, alias contractam *κυανοπρῴροιο*; Simonides autem ei tria tribuit genera, cum acc. sg. fem. *κυανοπρωεῖραν* poneret. Quod choricos saepius fecisse satis docent exempla Pindarica: *πολύξεναι* (fr. 99), *ἱπποσόα* (O. III, 26), *νεοκτίσταν* (N. IX, 2) al. v. Peter 46. Verumtamen ob Simonidem apud Homerum quoque Ebelio auctore *κυανοπρωείρας* edere falsum esse existimo. Quibus ex rebus *πρῴρα* et *κυανοπρώϊραν* pravo apice exstrui, recte vero solum *πρῳρᾶν* (sic optimi codd. Eur. Or. 362, Troad. 112, Soph. fr. 760) et *κυανοπρωεῖραν* scribi satis superque elucet.

VIII. Restant singulae nonnullae voces, quae pariter ac plurimae iam appositarum propter pristinam aliquam spirantem postea exstinctam contractionem plerumque, neque vero synizesin abnuunt. Sunt enim:

ἱερός Sim. 12 (codd.; Schneidew. coni. *ἱρός*).

ἔαρ legitur gen. *ἔαρος* Sim. 74; dat. *ἔαρι* Ariphr. cf. Pind. fr. 53,15 *ἔαρ*, ib. 7 *ἐαρίδρεπτον*; at coartantur vocales in Stes. fr. 33; 34 *ἦρος*; Ib. 1 *ἦρι*; Pind. P. IV, 64 *ἦρος*; IX, 46 *ἠρινός*; cf. Alcm. 76 *ἦρ*. Apud Hom. occurrunt formae solutae, contracta primum in h. Cer. 455 *ἦρος*.

ἄεθλος eiusque composita. Ea vox apud Pindarum (Peter 30) valde usitata nunquam in *ἆθλος* confluit, synizesin autem subit octies. In Ib. 2 est *ἀεθλοφόρος*.

ἀοιδά et *ἀείδω*. Terp. 5, Stes. 44 *ἀοιδά*; Terp. 2 *ἀειδέτω*; Sim. 53 *ἄεισε*. Consentit Alcman (Spiess Stud. X, 352); nunquam exhibent *ᾠδά* et *ᾄδω*.

ἀέλιος et *ἅλιος*. Formam *ἀέλιος* habes in Sim. 57, Bacch. 2, saepiusque ap. Pind.; contractam *ἅλιος* in Sim. fr. 77 et quattuor locis Pindaricis, ubi in *ἀέλιος* diducendam esse

perperam autumat Peter p. 30. Nam contractam quoque formam apud Dores in usu fuisse apertis verbis testatur Plato Crat. 409 A: ἅλιον καλοῦσιν Δωριεῖς atque iam in Alcm. II, 7 reperitur εὐ-άλιος. In Stes. 8 ἅλιος cum metro adversaretur Schweighaeuser iure dissolvit in ἀέλιος.

Huc accedunt verbi ἀείρω formae, quarum apparent in Pindaro ἀείρας (fr. 88), ἀερθείς (ter) et in Sim. 16 ἀέρθη (corr. Schneidewin; codd. ἠέρθη, quod prorsus repugnans choricorum dialecto ne epica quidem lingua potest excusari, cum etiam ibi semper sit ἀέρθη etc.; nec Bergki, qui ἄρθη proposuit, rationem probo, sed synizesin statuo). In Stes. 38 denique pro codd. ἀπῆρε, quae forma et ob contractionem et ob augmentationem (η) in choricorum dialectum peccat, iam metro postulatur ἀπάειρε.

§ 10.

De contrahendis verbis puris in —αω, —εω, —οω.

I. Verba pura quae —in αω cadunt apud choricos non minus quam apud epicos semper contrahuntur. Confluunt igitur vocales:

αε in α, non dorice in η: Sim. 76, Bacch. 4 βιᾶται; Bacch. 13,10 συλᾶται, 47 νωμᾶται; Ib. 28 ποτᾶται.

αο et αω in ω, non α: Sim. 40 πωτῶντο, 60 ζῶν.

άει in ᾷ: Bacch. 25 ἐρᾷς; Sim. 224 γελᾷ, ubi Herodianus „ὡς δὴ ἐγὼ γελᾷ“ explicans indicat Simonidem primam pronominis personam ἐγώ cum tertia verbi γελᾷ coniunxisse; quod fieri non potest, nec de prima pers. γελᾶ dorica contractione nata cogitari licet (Ahr. II, 197). Itaque Simonidem his verbis brachylogice dicere voluisse „ὡς δὴ ἐγώ (sc. γελῶ), γελᾷ (sc. ἐκεῖνος)“ verisimillimum est. Pindari exx. v. Peter 61.

II. Verborum purorum in —εω

1., εε et εει semper in ει coalescunt. Exempla exstant apud choricos multa. Nec discrepat Alcman (Spiess Stud. X, 354). Abiciendae igitur sunt coniecturae Schneidewini φιλέει (Stes. 50) et Bergki αἰνέεις (Timocr. 1) pro codicum rectis φιλεῖ et αἰνεῖς.

2., εη in η contracta nunc leguntur: Stes. 35 κελαδῇ·

Pind. P. XI, 10 κελαδῆτον (coni. Bergk, codd. κελαδῆτε). Sed cum ceteroqui chorici in verborum purorum formis adhibendis prorsus cum epicis consentiant, apud Stesichorum κελαδέῃ et apud Pindarum auctore Heyneo κελαδήσετ' reponendum esse confidenter censeo.

3., εο et εω non contrahuntur: Stes. 18 φορέοντα, 26 ἵκεο; Ib. 2 τρομέω; Sim. 18 καλέοντα, 29 μίμεο, 5,19 φιλέω, 5,16 βαλέω, 5,18 ἀπαγγελέω (futt. asigmm.); Timocr. 1 ἐπαινέω, πλέων; Prat. 1 προαχέοντα; Prax. 4 φυλάσσεο. In Sim. 5,14 φιλῶσιν in φιλέωσιν seiungendum esse plures iam critici intellexerunt. Porro temere Bergk in Lasi 1 ἀναγνῶν scripsit, derivans a Doriensi verbo ἀγνεῖν pro ἄγειν, cum εω neque in Dorica dialecto (Ahr. II, 207 sq.) unquam contrahantur. Legas igitur illic aut cum Ahrente ἀνάγνων (i. e. incestorum hymnorum) aut cum Hartungio ἀνάγων.

Cum εω nunquam coalescant, ex εο interdum uti apud Homerum fit ευ: Pind. fr. 110 καλεῦνται, 27 πλεῦντες (plerique editt. pro codd. πλέοντες); Bacch. 41 φορεῦντες; Cydias εὐλαβεῦ; adesp. 98, quod Schneidewin Simonidi tribuit, εἱλεῦνται. Consentiunt dithyramborum poëta Melanippides (fr. 1 [ἐ]φόρευν et πατεῦσαι) et vel Lesbius Alcaeus (fr. 18,5 μοχθεῦντες, 102 μαρτυρεῦντας).

III. Formae verborum denominativorum in —οω apud Pindarum semper coartantur; v. Peter 62. Item Prat. 3 ἀρῶν.

Caput V.

De vocalium concursu in confinio duarum vocum.

Hiatus sicut apud Homerum ita apud choricos duplex est:

1., opinatus hiatus, quibus locis in fronte alterius vocabuli nativum digamma amissum est.

2., verus hiatus, quem chorici non minus quam epici evitabant.

§ 11.

De digammate.

Sonum digammatis in boeotica et laconica dialecto ipsa horum poëtarum aetate viguisse demonstrant tituli. Porro

Alcaeum et Sapphonem digamma in carminibus exhibuisse compluria alexandrinorum grammaticorum affirmant testimonia, imprimis Apolloni Dysc. de pron. 358 B, 366 A, 396 B, qui quidem ob hos poëtas digamma nominat aeolicum (*τὸ Αἰολικὸν δίγαμμα*). Dein cum grammatici digammatis usum apud Corinnam poëtriam, Pindari popularem testentur (Apoll. de pron. 396 B, cf. Cor. fr. 19) idque re vera, si grammaticis fidem habere nolumus, in Alcmanis papyro nuper a Marietteo reperto scriptum exhibeatur, ex contrario et grammatici et scholiastae de digammatis usu in Pindari carminibus prorsus silent neque in codicibus qui exstant certa eius vestigia inveniuntur. Nihilo tamen minus nonnulli critici quorum dux est Bergk digamma investigare sunt conati ex corruptis quibusdam locis. Attamen eorum investigationes partim incertaé partim prorsus falsae sunt. Prorsus enim a vero aberravit Bergk, id quod iam Christ monuit, cum affirmet in Pind. N. III, 15 *τεάν* ex *Ϝεάν* et J. VIII, 17 *Ἀσωπίδων ϑ᾽ ὁπλόταται* ex *Ϝοπλόταται* a librariis corruptum esse, siquidem illam pronominis formam **σεϜάν*, **ἑϜάν*, *ἑάν* esse satis notum, vocem *ὅπλον* autem in fronte non Ϝ, sed *σ* abiecisse (Curt. Et.[4] 453) verisimillimum est. In reliquis vero quinque locis, quos Bergk affert (O. IV, 10 *χαρίτων ϑ᾽ ἕκατι*, J. V, 2 *σέο γ᾽ ἕκατι*, P. VII, 5 *τίνα δ᾽ οἶκον*, O. I, 99 *ἀέϑλων γ᾽ ἕνεκεν*, J. VI, 42 *τοιοῦτον τι ἔπος*) Christ (Philol. XXV, 634) Bergkio concedit.

Quibus locis nixi Bergk, Peter, Christ — quamquam hic sibi non prorsus constat[28]) — digammatis signum Pindaro vindicant et in textum inducunt. Quae ratio audacior est, ne dicam, falsa. Cur non ex contrario statuunt, illas particulas a librariis et aliis de causis et ut hiatum (J. V, 2; P. VII, 5) sibi suspectum brevemque syllabam (in *τοιοῦτŏν*) tollerent, in textum esse illatas? Nempe id in aliorum scriptorum libris saepius esse factum inter viros doctos constat.

---

[28]) Nam Christ quamquam in illa quam in Philologo edidit commentatione in Pindari carminibus digamma tantummodo pronuntiatum, non scriptum eamque ob causam in spiritus modum super litteras scribendum esse censet, nihilo minus in editione carminum Pindaricorum sine dubitatione in textu digammatis litteram imposuit.

Neque hiatus et omissa elisio ante pronominis formas *οὗ*, *οἷ*, *ἕ*, quas Christ ad fulciendam suam sententiam attulit, quidquam probant, utpote quae iam in Homeri carminibus acrius quam aliae memoriam antiqui soni servarint, cum solae fere sint quae ibi ut producantur praeeuntes syllabae breves constantius efficiant. Nequaquam autem illi litterae digammi defensores causas afferre possunt certas, cur Pindarus, si digamma scripsit, ante easdem voces modo vitaverit modo admiserit elisionem.

Quare alia et vera illius rei explicatio est exquirenda. Quoniam enim Pindarum multa ab epica lingua ascivisse omnibus est notum, quid impedit, quominus eum etiam hac in re epicum usum imitatum esse credamus? Quam quidem sententiam reapse rectam esse elucet, cum ante easdem potissimum voces sicut Homerum eum antecedentem vocalem non elisisse cognoscamus. Deinde etiam cum Homero facit, quod nihilo secius interdum ante has voces in principio digammate insignes vocalem eicit. Quae res bene et facile explicatur, si Pindarum hunc usum ex epico sermone recepisse statuimus.

Cum autem digammatis vim iam epicorum carminum poëtae ex antiquiore linguae aetate acceperint, ipsam autem litteram non scripserint eamque in nostrum Homeri carminum textum non esse recipiendam Leskien (Rationem, quam Im. Bekker etc. Lipsiae 1866) luculenter probarit, eo minus ius potestasque adest putandi Pindarum quippe qui homericum usum imitaretur re vera digammatis signum usquam posuisse. Quae quidem mea sententia certissime confirmatur usu ceterorum choricorum, qui cum Pindaro plane congruunt. Illos vero digammatis signum usurpasse nec grammatici antiqui usquam tradunt nec libri varii, qui eorum fragmenta continent, unquam comprobant. Denique id quoque dici potest digammatis sonum, qui cum Lesbiorum poëtarum, Alcmanis, Corinnae poësi domestica bene concordaret, ab choricorum inde ab Stesichoro universali poësis genere abhorruisse.

Quibus rebus probatis cum accedimus ad exempla proferenda, repetamus: choricos consentientes cum epicis et qui

eos similiter atque chorici imitabantur elegiacis iambicisque (Renner Stud. I, 1 p. 145 sq.) ante verba in principio digammo praedita vocales breves ad arbitrium vel intactas sivisse vel elisisse, vocales vero longas et diphthongos vel saepius quam Homerum videri corripuisse.

I. Vis digammatis nativi ad id tempus resedit:

a., ubi vocalis producta vel diphthongus non corripitur: Stes. 38 *Ἑλένα ἑκοῦσα*; Ib. 6 *καὶ ἴα καὶ ἑλίχρυσος*; Timocr. 1, 12 *μὴ ὥραν*, cuius radix est Ϝορ (cf. Curt. Et.[4] 349). Exx. Pindarica iam congessit Peter p. 22 sq.

b., ubi antecedens vocalis brevis non abicitur: Sim. 18 *ἑπτὰ ἰοπλοκάμων*, 32, 2 *ἄνδρα ἰδών*, 32, 1 *ποτὲ εἴπῃς*; falso editores *φάσῃς* adversantibus codicibus optimis ex corrupta minoris fidei librorum scriptura *φῇς* vel *φήσῃ* textui obtruserunt. Denique adesp. 39, 8 *σφετέροιο ἄνακτος*.

c., ubi syllaba praecedens correpta positione producitur: Pind. J. VI, 42 *τοιοῦτον̄ ἔπος* (codd. falso *τοιοῦτον τι ἔπος*) et in eadem voce Sim. 37, 18 *θαρσαλέον̄ ἔπος*. Altero loco Christi argumentum, qui in Phil. XXV, 631 n. 7 vocalem *ο* in antiqua litteratura aeque ac postea interdum *ι* vel *α* vocales ancipitem fuisse contendit, haud scio an parum valeat, quoniam Simonidem illa usum esse vix verisimile est, id quod vel Christ ipse (p. 610 sq.) ex testimoniis schol. ad Dionys. Thr. 780 sq. et Plini n. h. VII, 8, 192 docet. Cum autem in lingua epica eadem vox *ἔπος* saepissime productionem efficiat (*πυκινον̄ ἔπος Η*, 375; *Α*, 787; *Ω*, 744; *τεον̄ ἔπος Ω*, 75; *εἶπᾱς ἔπος*; *Α*, 108; *κακον̄ ἔπος Ρ*, 701; *Ω*, 767; mult. al.), quid est simplicius veriusque quam ut hos poëtas illum usum ex Homero recepisse putemus.

II. Vis digammatis nativi plane evanuit:

a., ubi vocales longae vel diphthongi corripiuntur: Sim. 74 *κλῦτᾰ ἔαρος*. In Pindari epiniciis legi: P. I, 1 *Ἀπόλλωνος καὶ̆ ἰοπλοκάμων*, N. IV, 89 *Ἐφιάλτᾰ ἄναξ*, fr. 54 *λιπαραὶ καὶ̆ ἰοστέφανοι*.

b., ubi vocalis brevis elisione removetur: Ib. 1 *αἴτ' οἰνανθίδες*; Prat. I, 17 *κισσοχαῖτ' ἄναξ*; Sim. 57 *ἄνθεσί τ' εἰαρινοῖς*, 31 *τὸ δ' ὄργανον*, 48, 3 *Λεχαίου τ' ἄνασσεν*. Dubia est elisio in fr. 31, 2 *ὄρχημ' οἶδα*, ex Bergki scriptura pro

codd. ὄρχημα οἶδα; aptior vero sensui est eius in alt. edit. emendatio ὄρχημ᾽ ἀοιδᾷ.

Bacchylides denique vel brevem vocalem elidit (27, 3 Κύπριδος δ᾽ ἔλπις, 31 οὔ σ᾽ ἔλπομαι) vel hiatum ν ephelcystico tollit: 11 ἀφθέγκτοισιν ἴσον, 27, 8 μαρμαίρουσιν οἶκοι.

§ 12.

De hiatu.

In admittendo et vitando hiatu poëtae chorici exemplum ab epica dialecto repetierunt neque tamen tot quot epici hiatus sibi permittebant neque ullos quin certis legibus stabiliti essent. Plerumque enim hiatum evitare studebant et elisione et aphaeresi et synizesi et crasi.

I. Vocales breves uti vulgo elisione tolluntur; pauca igitur sunt, quae moneamus. Abicitur enim

1., α correptum in nom. sg. I. decl.: Bacch. 27 γλυκεῖ᾽ ἀνάγκη.

2., ι in dorica terminatione 3. pl. —ντι: Bacch. 13, 12 βρίθοντ᾽ ἀγυιαί cf. Pind. N. III, 4 μένοντ᾽ ἐπί al.

3., αι diphthongus in clausulis medii: apud Pind. saepius, uti μέμφομ᾽ αἶσαν v. Peter p. 28. In Sim. 58 legitur ἴκητ᾽ ἐς ἄκρον, ubi editores vel ἵκῃ τ᾽ vel ἵκηταί τ᾽ scripserunt. In Sim. 37, 15 κέλομαι· εὗδε (codd.) Bergk ut hiatum submoveret illa trita ratione particulam δ᾽ inseruit, Schneidewin αι elisione exstinxit. At interpunctio excusat hiatum. Pariter Prat. I, 15 ἰδού· ἅδε dixit.

II. In versibus heroicis vocales productae et diphthongi saepissime in thesi ante sequentem vocalem corripiuntur qui usus poëticus, quem chorici ab epicis mutuabantur, a nostri aevi grammaticis semielisio vel hiatus levior appellatur.

Ex exemplis Pindaricis, quae sunt multa, nonnulla collegit Boeckh tom. I, p. 102. Apud ceteros choricos habes haec: Stes. 1 ἔδωκε καὶ Ἅρπαγον, 2 χόνδρον τε καὶ ἐγκρίδας; Sim. 5, 8 οὐδέ μοι ἐμμελέως, 32 γίνεται αὔριον, 30 ἀρεταὶ καὶ ὁ πλοῦτος, 40 τοῦ καὶ ἀπειρέσιοι, 50 μανίει οὐδέ, 79 οὗτος δέ τοι ἥδυμον; Bacch. 13 δάμναται εὐρώς; Timocr. 3 ἐντὶ καὶ ἄλλαι ἀλώπεκες.

Neque quicquam distat ab hoc usu diphthongorum intra voces correptio; nempe utrimque ab eo qui loquitur altera pars diphthongi i. e. vocalis ῐ omittitur. Pindarus qui multa exhibet exempla saepius ῐ ne scriptura quidem notat; v. Peter p. 16 sq. et Christ Philol. XXV, 626 sq. Apud ceteros choricos leguntur: Sim. 4 ἐντάφιον δὲ τοῐοῦτον, 29 Ἀμυκλαῖαν (a nom. app. Ἀμυκλαι), 57 καὶ βρότεῐοι (codd.; βρότεοι Hermann fortasse iure, cum Homerus semperque Pindarus βρότεος dicant). Bacch. 6, Telesil. 1 Ἀλφεόν pro Ἀλφειόν; cf. Pind. O. IX, 18 Ἀλφεοῦ.

III. Aphaeresis et synizesis exempla non apparent nisi: Sim. 40 κυανέου ’ξ ὕδατος, Praxill. 3; 4 ὦ ’ταῖρε. Sim. 5, 10 μὴ οὐ. Exx. Pind. v. Peter 31.

IV. Crasis usus neque apud Pindarum (Peter 28) neque alios choricos a vulgari recedit: Sim. 5, 15 τοὔνεκεν, 60 ὤνθρωπε; Timocr. I, 12 κηὔχοντο, 3 κἄλλοι, 8 κἀχέροντα; Bacch. 31 τἄλλα (ex valde dubia Bergki correctura).

V. Postremo Pindarum epicum usum imitantem vocalis productae vel diphthongi hiatum in arsi dactylica (J. I, 61 Ἡροδότῳ ἔπορεν, J. VIII, 56 ἀοιδαὶ ἔλιπον, al.) admisisse notandum est. Neque in arsi trochaica epicum usum vel superans eo se abstinuit: Ὀρθωσίᾳ ἔγραψεν O. III, 30 al. v. Boeckh tom. I, 2 p. 102 et Peter p. 27. Neque aliter explices in Sim. 58 μόλῃ, ἵκηται et 27 χρυσεοκόμα Ἕκατε, ergo non opus est Bergki coniectura χρυσεοκόμας; huc etiam accedit, quod Ἕκατος si cum ἑκάς componimus in principio digammate insigne fuit.

Caput VI.

De epicae linguae auctoritate in vocalium et consonantium usu.

§ 13.

De vocalibus et diphthongis.

I. Maxime chorici diphthongos ει et ου productione suppletoria natas retinuerunt: Sim. 57; 73 εἰαρινός, sed Pind. P. IX, 46 ἠρινός, cf. Alcm. 26 εἴαρος epico more fictum.

Stes. 4 χειροβρώς; Sim. 12 χεῖρας, 17 χειρῶν, sed 37 χέρα. Timocr. 1 ξεῖνος. — Sim. 37, 7 δούρατι, 53 δουρί; cf. Alcm. 68 δουρί. Pindarus habet et δουρί et δορί; v. Peter 42. Sim. 18 οὔρειος; cf. Pind. J. VI, 32 οὔρεϊ. — κοῦρα Stes. 18; 35 (altero loco codd. R V κόρα), Ib. 9; 15; at κόρα Ib. 45, Telesil. Las.; κουριδίαν Stes. 8. — κοῦρος Sim. 75, Licym. 3, at κόρους Ib. 16 (Dindorf; codd. κούρους). — μοῦνος Stes. 35 (cod. R μόνης), Bacch. 26, Timocr. 3, at μόνος Bacch. 25, Timocr. 3, Prat. I, 8. — Bacch. 34 νοῦσος, 33 οὐδός in epica formula ἐπὶ λάϊνον οὐδόν. Pindarum pariter in his aliisque vocibus similibus per vices et epica et dorica usum esse forma apparet ex exemplis a Petero p. 17 allatis.

Quin etiam in una eademque voce chorici duarum dialectorum propria inculcabant, ut Pind. P. III, 52; X, 64 προσανής (semidor.); P. I, 6 χαλάξαις (doricoaeol.), al. Et iam Alcman tales voces hybridas fingere conatus est: cf. fr. 83 σαλασσομέδοισα (lacon.aeol.).

Denique disseram de Sim. fr. 235 αἰριπόλιοι δμωαί (codd.). Bergk αἰριπόλοι scripsit professus doricam esse formam pro εἰριπόλοι. Neque tamen quisquam adhuc indagavit formam αἴριον pro ἔριον, quae haud scio an nusquam in dialectis doricis exstiterit. Atque etiamsi exstitisset, nullo pacto Simonidi tribuam qui ne αἰ quidem particulam doricam et aeolicam, quae vel epicae linguae est notissima, dialecto suae aptam esse existimabat. Quare epic. εἰριπόλοι (cf. Γ, 387 εἰροκόμος), cum minus quam Lobecki (Path. El. I, 304) ἐριπόλοι a tradita scriptura recedat, Simonidi reddendum esse arbitror. De formatione εἰριπόλοι pro εἰριοπόλοι dixit Lobeck l. c.

II. Pind. P. II, 77 et Bacch. 34 adi. epic. ἴκελος pro vulgari εἴκελος scripserunt.

III. Cum Pindaro conspirantes chorici semper epicum v. ἵκω eiusque derivata, nunquam ἥκω posuerunt: Stes. 8 ἀφίκοιτο, 26 ἵκεο; Sim. 48 ἵκετο, 36 ἐξίκοντο, 58 ἵκηται, 38 ἱκνεῖται; Bacch. 3 ἱκνεῖσθαι.

IV. Notatu digna est epica forma adi. κενεός: Sim. 5, 14; 75, adesp. 98 itemque ap. Pind. praeter alteram epicam κεινός.

V. Forma subst. πνοιά Pind. O. III, 33; Sim. 78 respondet epicae πνοιή (ex πνο̄-ια); Pindarus profert alioqui (ut O. VI, 83) vulgarem πνοά (ex πνο̄-ά).

VI. Particulae formam αἰεί exhibent Stes. 18, Ib. 4, Phryn. 1, Pind. saepius.

VII. Vocalis ε, quae in fronte vocabulorum ante digamma quod postea evanuit orta est, apud Pindarum saepius in vocibus epicis remansit, ut ἐειδόμενος al. v. Peter p. 16. Praeterea Ib. 18; 19 ἐέλδωρ, quorum alterum Bergk falso ad ἔλδωρ reduxit.

VIII. Cum Pindarus vocis ἀνήρ nonnunquam formas epp. ἀνέρι, ἀνέρας etc. (Peter 41) admittat, apud ceteros non occurrunt nisi usitatae: ἀνδρός, ἄνδρα, ἀνδρῶν, ἄνδρας. — Porro critici in Sim. 7; 18 pro codd. formis vulgg. θυγατέρες, θυγατέρων ad sanandum metrum poëticas θύγατρες, θυγατρῶν reposuerunt; apud Pindarum littera ε modo ponitur modo eicitur; v. Peter 41. Gen. θυγατρῶν alias non exstat, saepius vero similis πατρῶν (ut Od. δ, 687), de quo Eustathius annotat: τὸ πατρῶν ποιητικόν ἐστιν ὡς καὶ τὸ θυγατρῶν. — Acc. sg. subst. μάτηρ est ap. Stes. 8, Timocr. 6 ματέρα et nom. pr. Δαμάτηρ ap. Las. et Pind. O. VI, 95 Δάματρα.

IX. In Prat. I, 14 conspicitur epica praepositio ὑπαί pro ὑπό. De form. v. Curt. Et.[4] 269 παραί. Dein in Sim. 37, 17 ex cod. R Par. μαιβουλία (τ supra scriptum) Bergk et Schneidewin μεταί enucleare studebant. Quorum conamen iamdiu Ahrens (lament. Dan. p. 20) redarguit, quod praep. μετά nusquam eam quam διαί, παραί, ὑπαί formam μεταί indueret nec μεταβολία pro usitato μεταβολή exstaret nisi apud Iesum Sirachi, atque recepit cod. optimi Guelf. lectionem μεταβουλία, quae cum nec metro nec sensui adversetur non est quod spernatur.

X. Apocopen praepp. ἀνά, παρά, κατά in epica lingua frequentatam chorici interdum admittunt et ne tragici quidem ignorabant. Apud Pindarum exempla sunt permulta, in aliorum fragmentis haec: Sim. 58 δυσάμβατος; Bacch. 23 ἀμβολά, 24 ἀντείνασα; Ariphr. ἀμπνοά. Ex criticorum emendatione: Sim. 8 ἀντείναιτο (Schneidew.), Bacch. 27 ἀμμιγνυμένα (Neue), Ib. 24 παρ θεοίς (Schneidew.). Denique Pindarus

in *κάπετον* (O. VIII, 38) Dorum more non solum apocopen, sed etiam elisionem habet. Cf. Alcm. 38 *καβαίνων*.

XI. Simonides perinde atque epici et Pindarus variat usum particularum *ἄν* (fr. 5, 3; 10; 14; 8) et *κέ(ν)* fr. 37, 4; 55; 57). Deinde *ἄν*, non doricum *κα* conspicitur, ubi adiungitur coniunctionibus *ὅτε* et *ὁπότε*: Stes. 33 *ὅταν*; Sim. 12 *ὁπόταν*, 31 *ὅταν* (scriptura dubia).

XII. In Sim. 37, 10 cod. optimo Guelf. *περιόντος* pro *περιϊόντος*, contra in minoris fidei Reg. *παριόντος* legitur. Guelf. *περιόντος* critici respuerunt ni fallor Ahrentis (lament. Dan. 16 sq.) maxime argumentis permoti atque alii scripturam Reg. sensui aegre convenientem *παριόντος* amplexi sunt, alii Ahrente duce plane alia pro tradito vocabula proposuerunt. Argumenta vero Ahrentis sunt haec: 'Errat Schneidewinus (Beitr. 125) quum *περιόντος* Aeolice pro *ὑπεριόντος* dictum putat; nam Aeolis *περριόντος* postularet nec credibile Simonidem interiore illo Aeolismo usurum fuisse. *Περιόντος* vero non posset nisi Pindarico more pro *περιϊόντος* positum haberi cum vulgari circumeundi notione. Iam vero neque haec sententiae loci convenit neque Simonidem unquam Pindarico illo idiomate usum esse probabile est.' Quae quo iure statuerit mox videbimus allatis quae huc spectant exemplis omnibus. Saepius praep. *περί* elisionem grammatici ascribunt Aeolensibus, Eustathius (Prooem. Pind. 12) et Doriensibus, quorum illi Lesbios poëtas, hic Pindarum respicere videntur. Et Lesbios poëtas praeter formas plenas non solum apocopatas, uti *περ σῶ* Alc. 74 (alia exx. v. Ahr. I, 150 sq.), sed etiam elisas, quas a Lesbia dialecto abiudicare studet Ahrens (I, 56 sq. II, 357), exhibuisse clare testatur Alc. 74 *οἴκω τε περ σῶ καὶ περ' ἀτιμίας* (ex splendida Bergki rectaque emendatione pro codd. depravato *καίπερ*[29]) *ἀτιμίαις*). Refringitur iam hoc exemplo Ahrentis argumentum, quod constituit Sapphus v. *πέρροχος* (fr. 92)[30])

29) Atque particulam —*περ* ipsam ex *περί* decurtatam esse recte observavit Hartung, Partikeln I, 327 sq.

30) Quae litterae *ρ* geminatio praeterea in duabus Hesychi glossis: *περρέχειν· ὑπερέχειν* et *περρεθήκατο· περιεθήκατο* et forte in aeol. v. *Πέρραμος* pro *Πρίαμος* reperitur. Arte eam cum epenthesi vocalis *ι* cognatam esse constat. At praepositionis *περί* in nulla adhuc graeca dia-

nixus Aeolidem *πεῤῥιόντος* postulaturam esse. Ceterum multo maiore iure Hesychi glossas *περώσιον*, *περόσχια*, *περομνύναι* Aeolidi ascribas quam Hesiodo, quem Delphis eas formas accepisse Ahrens putat. Deinde habes elisionis exempla: apud Pindarum *περ' ἀτλάτου*, *περ' αὐτᾶς*, *περάπτων*, *πέροδος*, *περιδαῖον* (v. Peter 68), *περιέναι* (ex test. Cram. ann. IV, 309, 21 *τετρασυλλάβως* a Pindaro dictum) atque iam apud Hesiodum *περίαχε* (Theog. 678), *περοίχεται* (733); porro vel in Aeschyli tragoediis *περεβάλοντο* (Ag. 1106), *περεσκήνωσε* (Eum. 625) et apud comicos saepius *περιών* pro *περιιών*: Pherecr. in Bekk. ann. 373, 25 *περιόντας*, Plat. ap. Poll. 6, 49 *περιών*, Antiph. ap. Athen. II, 66 D *περιόντα*, Phryn. ap. Athen. IV, 105 C *περιόντες*; denique in metrica inscriptione Megarica *ψηφισσαμένης περ' ἐμεῖο* (C. I. G. 1064).

Contra in titulis Aeolicis adhuc effossis et elisio et apocope praep. *περί* deest. Quod non ita est mirandum, quia omnes paene trecentis annis inferiores quam Alcaei et Sapphonis carmina sunt. In aliorum vero populorum titulis elisionis et apocopes reperiuntur exempla haec: in Amphictyonum decreto (C. I. G. 1688) *πέροδος*; qua una voce perductus Ahrens Pindarum et Hesiodum ex delphica lingua illam elisionem repetiisse contendit, sed sententiam eius iam Peter p. 6 sq. certis argumentis refutavit refutantque exempla titulorum Eliaci (C. I. G. 11) *παρ πολέμω* et Locrensis nuper Naupacti effossi (Cauer del. n. 91) v. 22 *Περκοθαρίαι*, v. 27 *Περκοθαριᾶν*, quod est nomen colonorum, et tabulae Idaliensis cypricae v. 27/28 *περ' Ἠδάλιον* (Cauer del. 118). Postremo referas huc nomina propria haec: *Πέρκαλος*, *Περκλείδης*, *Περφίλα*, *Περφερέες* (?), cf. Fick, griech. Personennamen p. 69.

Doricam igitur et aeolicam et atticam dialectum elisionem et apocopen praep. *περί* nonnunquam exhibuisse

---

lecto certum epenthesis exemplum investigatum est; nam nominis propr. *Πειρίθοος* etymologia est dubia. Certissima vero in lingua ionica offert praepositio *ὑπέρ* in vv. *ὑπείροχος* et *ὑπειρέχειν* quas cum illis aeolicis *πέῤῥοχος* et *πεῤῥέχειν* cognatissimas esse nemo est quin videat. Ut enim in lingua ionica *ὑπείρ* non ponebatur nisi ante sequentem vocalem, ita in lesbia quoque ante vocales tantum *περρ* aliquoties admittebatur. Verum tamen ne in his ipsis quidem vocibus geminationem ut semper asciscant choricos coactos esse probatur Pindari exemplo: *ὑπέροχος* N. III, 23; P. II, 38.

vidimus. Qua de causa nescio cur eam Simonidi abiudicemus, praesertim cum in hoc ipso part. περιών vel comicos Atticos aliquoties ῐ elisisse et Pindarum περιέναι dixisse compererimus. Atque Hesiodum et Pindarum ex patrio sermone illum usum ascivisse neque a Delphis quaerere debuisse satis mihi est probabile. Simonides vero utrum ab aeolicis poëtis an ab Hesiodo an ex Doride ipsa repetierit, decernere non audeo.

Quod denique Ahrens praepositioni περί Simonidem significationem ‚super' indere potuisse negat, non probo. Nam praepositiones περί scrt. pari et ὑ-πέρ scrt. u-pari et forma et notione cognatissimas esse et praepositionis περί significationem peculiarem fuisse ‚super' Sonne (K. Z. XIV, 1 sq.) dilucide ostendit; cf. Sapph. I, 10 περὶ γᾶς μελαίνας. Neque eam ex lingua aeolica mutuari Simonidem debuisse testantur homerica: περὶ πάντων, περιεῖναι, περιγίγνομαι, al. et attica: περὶ παντός, περὶ σμικροῦ ποιεῖσθαι etc.

Eoque minus hoc Simonidis loco ille praep. περί usus offendit, quod praep. adverb. ὕπερθε [τεᾶν κομᾶν] iam aperte indicatur, quae inesse debeat significatio verbo περιέναι. Itaque in cod. Guelf. et Aldinae scriptura περιόντος quae optime se habeat acquiescendum est.

§ 14.

De consonantibus.

I. Littera ρ in commissura compositorum epico more apud choricos modo geminatur modo non geminatur: Sim. 62 μεταῤῥίπτει, at 69 ἄρεκτον (cf. Il. T, 150), etsi ex ἀ-ϝρεκτον est ortum. Bacch. 14 ἄῤῥηκτος, Stes. 5 ἀργυρορίζους, 27 ἔῤῥιπτον. Prat. I, 16 διαῤῥιφά, adesp. 101 περιῤῥύτα. Pindari exx. collegit Peter p. 53.

II. Neque deseruerunt chorici epicum usum in vocibus: ἐπίσσωτρον Stes. 1, ἔσσυθεν adesp. 39, πολύλλιστος Sim. 45; cf. C. I. G. 2388, 9 πολυλλίστη in titulo metrico et Alcm. 1 πολυμμελές, al. v. Curt. Erläut.[2] 41.

III. Litteram δ ante μ non mutant: Sim. 249 ὀδμά, cf. Pind. fr. 106. Sim. 74 ἀδύοδμος. Pind. fr. 53 εὔοδμος, O. I, 27 κεκαδμένον.

IV. Pindarus praeter vulgarem praep. *πρός* epica quoque et dorica *ποτί* utitur; aeque exhibet Ibycus frr. 2, 26 *ποτί*, sed frr. 24 *πρός*. Contra non legitur nisi *ποτί* ap. Stes. frr. 8 (bis); 27 (bis); 92; Timocr. 6; Lamprocl., nisi *πρός* ap. Bacch. frr. 2; 8.

V. Apud Pindarum multo plus centum exemplis recentior praep. forma *σύν* legitur, *ξύν* autem ter tantummodo: N. IV, 25 *ξὺν ᾀ*, ib. 31 *ξυνιείς* et fr. 99, 12 *ξυνάορος* atque critici prioribus duobus locis *ξύν* emendantes *ξυνάορος* non tetigerunt; quae sit causa, non intellego, cum iam in Od. *ϑ*, 99 forma *συνήορος* exstet. Apud ceteros choricos non reperitur nisi recentior forma *σύν*: Ib. 2. Sim. 5, 11. 14. 37, 19. 48. Bacch. 1. 29. Ariphr. 1, 2. Contra *ξύν* retinuit Bacchylides in *ξυνέασιν*, de quo supra exposuimus.

VI. Metathesin litterae *ρ* Pindarus saepius exhibet in vv. *κραδία, κρατερός, καρτύνειν, καρταίπους*; v. Peter p. 20. Simonides fr. 39 habet *κάρτος*.

VII. Verbum poët. *κίδναμαι*, quod iam in Homeri carminibus in fronte *σ* abiecit, nonnunquam Pindarus usurpavit atque in Sim. 41 *κιδναμέναν* metri causa restituit Schneidewin.

VIII. Stesichorus fr. 84 *Ἰλεύς* pro vulgari *Ὀϊλεύς* dixit, cuius formae auctorem habet Hesiodum (fr. 77, 1); cf. Pind. O. IX, 120 *Ἰλιάδας* (patronym. ab *Ἰλεύς*). Utramque formam ex *ϝιλεύς* natam esse docuit Curtius Et.[4] 561.

IX. De spiritu aspero vocum *ἕρδω* (Sim. 5, 20), *ἕρνος* (Ib. 1, 5), *ὥρα* (Timocr. 1, 12).

In v. *ἕρδω* grammatici inter se certant, utrum aspero an leni spiritu sit ornanda. Sed spiritus asper non minus quam in Timocreontis *ὥρα* probatur digammo utrique peculiari atque confirmatur locis quibus praecedit in codd. aspirata littera, ut Od. *η*, 202 *εὖϑ' ἕρδωμεν*, quam scripturam agnoscit Eustathius; Hes. op. 360 *τοῦϑ' ἕρδοις*; Soph. Phil. 684 *οὔϑ' ἕρξας* (ll. nonnulli). Atque in subst. *ἕρνος* asperum testantur Lex. *περὶ πνευμάτων* (Valck. Ammon. 197) *τὸ ἕρνος δασυνόμενον εὗρον* et Moschop. op. 36 *ἕρνος καὶ ἕρδω δασυνόμενον* saepiusque Euripidei codices offerunt. V. Elmsley ad Med. 1182.

Caput VII.

De nominum et verborum flexione.

§ 15.

De nominibus.

I. Nominativus singularis. Stirpium in consonas exeuntium notandi sunt nominativi:

1., ἔρος Ib. 1; 2. Homerus exhibet praeter ἔρος (st. ἐρο) bis ἔρως (st. ἐρωτ), Pindarus vero semper ἔρως, ἔρωτος etc., quocum consentit Phryn. 2 ἔρωτος.

2., φῶς Phryn. 2, quam formam contractam si est genuina ex Attica dialecto recepisse videtur. Apud Pindarum semper legitur φάος, apud Simonidem φόως, sed in epigrammate (131).

3., κέαρ Bacch. 13, 11; 19, 6; 27, 11 et Pindarus (saepius), quae forma tragicis quoque usitata est. In homericis carminibus semper obvenit κῆρ. De forma v. Curtius Et.[4] 142.

4., κάρα Stes. 42, Sim. 30, Pind. (saepius) neque aliter tragici; epici vero κάρη.

5., οὖας Sim. 37, quae nom. acc. forma ceteroqui nusquam reperta stirpem longiorem οὐσατ non in casibus obliquis tantummodo se continuisse testatur èt Ahrentis (II, 246) sententiam, qui ab Herodiano traditum nomin. dor. ὦας exstare non potuisse, sed ex analogia casuum obliquorum a grammaticis fictum esse contendit, satis infringit. Huc addam adi. οὐατόεις (Sim. fr. 245) formam; contra Homerus Ψ, 264; 153 ὠτώεντα habet, quod in οὐατόεντα mutandum esse (Curt. Erläut.[2] 70) satis est credibile.

Primae quae vocatur decl. α Pindarus interdum in modum epicae et aeolicae linguae corripit terminationem: χρυσοχαῖτα, βαθυμῆτα etc. v. Peter p. 32. Praeterea Prat. 1, 17 κισσοχαῖτα (voc.) praebet; nec scio cur Bergk apicem in antepaenultima (κισσόχαιτα) pinxerit. In Sim. 41 pro codd. ἀήτη metrum versus dactylicum ἄητᾰ quod reposuit Bergk postulare apertum est.

Atticae quae dicitur declinationis voces formas offerunt has: a., atticas: Τυνδάρεως, Τυνδάρεω Stes. 35; ὑπόπλεως

Timocr. 1, 10. b., epicam: *Ἀμφιάραος* Stes. 3. c., doricas: *Ἀμφιάρηος* Pind. P. VIII, 56; *Ἀμφιάρῃ* N. IX, 24; *Ἀμφιάρηον* O. VI, 13 al.; *Βριάρηο* Ib. 45.

Formas autem atticas *Τυνδάρεως*, — *εω*, *ὑπόπλεως* plane repugnare choricorum dialecto neque ullo modo probari nec defendi posse iam Schneidewin et Ahrens perspexerant. Atque ab altero in Timocreonte dor. *ὑπόπλεος* quod duorum codd. scriptura *ὑπόπλειος* indicatur optime repositum est. Schneidewin vero sibi non constans proposuit in nom. epicam formam *Τυνδάρεος*, in gen. vero doricam *Τυνδάρηο*, quae alias non exstat. Itaque cum priore loco **Τυνδάρηος* rhythmum laederet, equidem epicas *Τυνδάρεος* et *Τυνδαρέου* (cf. Od. *ω*, 199; *Τυνδαρέῳ* *λ*, 299) Stesichoro reddam. Qua in re vel eo comprobor, quod Stesichorus praeterea utitur epica *Ἀμφιάραος*, quam Schneidewin ob Pindari ut videtur usum, sed nullo iure in *Ἀμφιάρηος* mutat. Pindarus autem Ibycusque usurpabant formas *Ἀμφιάρηος* etc. et *Βριάρηο*, quas doricas esse verisimile est. Atque gen. *Βριάρηο* et dat. *Ἀμφιάρῃ* a breviore stirpe *Βριάρη-ς* et *Ἀμφιάρη-ς* (cf. Lobeck Path. El. I, 346) ficti sunt. Cf. I. decl. nom. pr. masc. *Τήρης*, *Λέσχης*, *Πύθης*, al. (Kühner, ausf. Gramm. I, 302), quorum genetivi *Τήρεω* etc. ex **Τήρηο* nati sunt. Praeterea comparare licet epicos genn. *Πετεῶο* (nom. *Πετεώς*) et *Πηνελέωο* (nom. *Πηνέλεως*). Atticus gen. *Βριάρεω* et ex *Βριάρηο* et ex *Βριαρέωο* ortus esse potest. — Formae *Ἀμφιάρηος* et *Ἀμφιάρηον* ab *Ἀμφιάρη-ς* suffixo *ο* deductae inter ep. *Ἀμφιάραος*, —*αον* et att. *Ἀμφιάρεως*, —*εων* intercedunt.

II. Accusativus. Vocabula quorum stirps in *ῐ* et *υ* cadit modo —*ν* modo —*α* terminationem uti vulgo accipiunt, prout sunt *βαρυνόμενα* vel *ὀξυνόμενα*. Cui regulae obstat Bacch. 45 acc. *πλήμμυριν* nominativi *πλημμυρίς*, qui vulgo *ὀξύνεται*. Hic vero usus saepius conspicitur in dialecto Lesbiaca (cf. Ahr. I, 113 *κνᾶμιν*, *σφρᾶγιν* etc.) et Delphica (cf. Curtius, Berichte d. k. sächs. Ges. d. Wissensch. 1864 p. 224: *Καλλίν*, *Σωτηρίν*, *Στρατυλλίν*). Quapropter Herodianus testibus Phavor. 368, 28 et Et. M. 676, 25 apud Bacchylidem accentu retracto *πλήμμυρις* scribendum esse putat.

4*

Nominis pr. dor. *Μέλαμπος* (Pind. P. IV, 126; adesp. 39) exhibetur acc. *Μελάμποδα* (Stes. 17; adesp. 37) et nominis pr. *Θεμιστοκλέης* acc. *Θεμιστοκλῆα* (Timocr. 1), quam formam dubito num sit opus cum Ahrente in doricam *Θεμιστοκλῆ* rescribere, si reputamus Pindarum quoque semel in dativo epice *Ἡρακλῆϊ* (J. V, 37) dixisse et Ahrentis mutatione inter *Θεμιστοκλῆ ἤχθαρεν* hiatum effici.

III. Genetivus. Stirpium in consonas cadentium libri tradunt genetivos *Τυδέως* Ib. 22 et *Θεμιστοκλέους* Timocr. 1, 12, quos Bergk retinuit; at talis Atticismus in choricorum carminibus vehementer offendit neque est quo excusetur. Qua de causa librariorum errorem corrigentes Schneidewin *Τυδέος* et Ahrens *Θεμιστοκλέος* reposuerunt; quod quidem probo; cf. Peter p. 38 sq.

Epicus gen. secundae decl. in —*οιο* saepius legitur apud Pindarum; v. Peter 34 sq. Apud ceteros choricos exempla sunt haec: Stes. 8 *Ὠκεανοῖο*, 85 *ἀπειρεσίοιο κυνυλαγμοῖο;* adesp. 39, 8 *σφετέροιο;* Ib. 9 *Πριάμοιο*, sed 29 *Ἐνυαλίου,* etiamsi apud Homerum semper habes *Ἐνυαλίοιο;* Las. 1 *Κλυμένοιο*; Sim. 18 *εὐπλοκάμοιο* (Athen.; sed schol. Pind. N. II, 16 *ἑλικοβλεφάρου*, quod Bergk adoptavit).

IV. Dativus. Memorabilis est dat. *ἤτορι* Sim. 37, 6 ab Athen. codd. traditus, quem solus Bergk retinuit. Ceteri critici in Eust. ad Il. 113, 31 testimonio, qui *ἦτορ* indeclinabile esse profitetur, acquiescentes e corrupta Dion. Hal. codd. scriptura *δεῖ-θει-* vel *στήθεϊ* (Schneidewin) vel *λήθεϊ* (Ahrens) vel alii alia elicuerunt. Attamen nescio quid impedierit, quominus Simonides dativum simplicissimum *ἤτορι*[31]) formaret. Aequo iure tunc addubitandus erat dat. pl. *χερνίβεσσιν* (Sim. 44), utpote cum Homerus non adhibeat nisi acc. sg. *χέρνιβα*.

Eadem porro in causa est Ibyceus dat. *τάφει* (fr. 21) nominativi *τὸ τάφος* i. e. stupor. Cuius vocis alias non occurrit nisi nominativus *τάφος* isque apud Homerum, ita ut

---

31) Nitschio qui in M. Rh. XXIII, 480 obiecit: adi. *γαλαθηνός* illum in modum cum *ἦτορ* non posse coniungi, cum sit absurdum ‚mit milchsaugendem herzen', opponam Hesychi glossam *γαλαθηνόν· ὑποτίτθιον· νέον*.

Herodianus (περὶ μον. λεξ. 36, 2) iure potuerit dicere: ἀλλ' ἴσως τοῦτο ἀμφίβολον (sc. εἰ τάφος ἐπὶ τῆς ἐκπλήξεως γένος ἐπιδέχεται τὸ οὐδέτερον)· ὁ μέντοι Ἴβυκος διέστειλε τὸ γένος ἐν τῷ πρώτῳ (sc. τῶν μελῶν) σχεδὸν τὸ Ὁμηρικὸν μεταλαβών (corr. Lehrs; codd. falso μεταβαλών), quod Schneidewinum in vehementem abduxit errorem, quippe qui (Ib. Rheg. rell. p. 216) τάφει pro τάφῳ i. e. sepulcro dictum esse doceret.

V. Vocativus. Substantivi χελιδών voc. χελιδοῖ est in Sim. 74, quasi sit nom. *χελιδώ; idem voc. χελιδοῖ est in Anacr. fr. 67 et in Ar. Av. 1411; at voc. χελιδόν ad normam flexus in Anacreont. 9; 25.

Nominativus vocativi vice fungitur in Sim. 81 ἀλέκτωρ; cf. χελίδων Sapph. 88.

VI. Nominativus pluralis. Homericus usus est expressus in Sim. 36 υἷες; apud Pindarum non sunt nisi υἱοί et υἱέες; v. Peter p. 43.

Vocum in —ευς Bacchylides et epicum nom. pl. βασιλῆες (fr. 42) et vulgarem Μαντινεῖς (fr. 41) assumpsit. Sed etiam in titulis Rhodiis et Delphicis inveniuntur formae contractae; v. Ahr. II, 237. Pindarus et epicum in —ῆες et doricum in —έες posuit, vulgarem in —εῖς neglexit; exx. v. Peter 39.

VII. Dativus. Stirpium in consonas exeuntium apud Pindarum variant terminationes —εσσι, —σσι, —σι; v. Peter 37. Ex ceteris choricis reperitur terminatio —σσι apud Stes. 8 ποσσί (ex ποδσί). Terminationis —εσσι autem exempla attuli in § 3, IIa. Terminationem —σι denique deprehendes in neutris stirpium in —ες et —ατ constanter: ἄνθεσι(ν) Sim. 47; 57; Ib. 5. ἔρνεσιν Ib. 1; κηλήμασι, ὄμμασι 2, atque praeterea in dativis hisce: ποσί, χερσί Sim. 5, 2; κορυδαλλίσι 68; βασιλεῦσιν Stes. 18; νηυσίν 26; πόρπαξιν Bacch. 13; ἄνδρασι 27; πᾶσι 29; πᾶσιν Stes. 35, Bacch. 29, Prat. 5; ἀσπίσι Bacch. 41; πελειάσιν Lampr. 2; παρῆσι Phryn. 2 (nisi malis cod. C παρεῖαῖσι, cui metrum non obstat); ἄρκυσιν Ariphr.

Stirpium in vocales cadentium praeter clausulas vulgares atque in Dorismo solas usitatas —αις et —οις saepius

antiquiores et pleniores —αισι et —οισι [32]), quae usu veniebant maxime apud Aeoles, leguntur neque vero unquam epicoionicae —ησι vel —ης. Idcirco in adesp. 39, si Stesichoro tribuitur, ἐννεσίῃσιν ferri nequit.

Pronomen ὁ ἡ τό si est articulus semper formam ταῖς et τοῖς, sin vero demonstrativum vel relativum, formam ταῖσι et τοῖσι quoque habet: Sim. 5, 7 τοῖσί τε.

Dein chorici et ipsi comprobant animadversionem Ahrentis (I, 112), qui breviorem formam [33]) omisso articulo non reperiri fere nisi sequente vocali aut in adiectivis cum substantivo plenioris formae iunctis aut in fine versuum docet. Quapropter ille usus non tam Lesbiacus quam omnino poëticus antiquioris poësis videtur esse. — Apud Simonidem ex viginti exemplis duo tantum illi regulae adversantur (fr. 4 ἐν Θερμοπύλαις θανάντων, fr. 58 βλεφάροις θνατῶν), apud Bacchylidem ex undetriginta tria (27 ἀνθρώποις μοναρχήσειν, 29 θνατοῖς μεγάλων, 13 σιδαροδέτοις πόρπαξιν), apud Ibycum ex quattuordecim duo (1 οἰναρέοις θαλέθοισιν, 27 ἀποφθιμένοις ζωᾶς). Praeterea habent: Timocr. 8 ἀνθρώποις κακά, Ariphr. ἀνθρώποις βασιληΐδος, Licym. 1 Μυρίαις παγαῖς δακρύων. Consimiliter apud Alcmanem inter quattuordecim exempla, quae enumeravit Spiess Stud. X, 367, duo tantum Ahrentis legi obstant: fr. 24 φοίναις δὲ καί, 140 καρχάραισι φωναῖς, ubi exspectes καρχάραις φωναῖσι.

Denique notandum est, interdum et pleniorem formam adiecto ν ephelcystico poni ante sequentem vocalem: Ib. 1, 5 σκιεροῖσιν ὑφ' ἕρνεσιν, 1, 9 μανίαισιν ἐρεμνός, 2 κυανέοισιν ὑπὸ βλεφάροις, 5 ῥοδέοισιν ἐν ἄνθεσι, 8 πετάλοισιν ἐπ' ἀκροτάτοισι. Sim. 50 Κορινθίοισιν οἱ (schol. Pind.; alii scriptores falso Κορινθίοις δ' οὐ), 57 ποταμοῖσιν ἄνθεσί τε. Bacch.

[32]) Stes. 8 δάφναισι, 35 κούραισι (cod. R κόραισι). Ib. 8 ἀκροτάτοισι, ξανθοῖσι; 22 παλάμαισι. Sim. 10 πετάλοισι, στεφάνοισι; 15 ἀρούραισι, 37, 3 ἀδιάντοισι, 41 ἀκοαῖσι, 57 θαλασσαίαισι. Bacch. 2; 21; 35 θνατοῖσι, 3 παύροισι, 9 ἀθανάτοισι, 27, 4 Διονυσίοισι, 29 ἀνθρώποισι, 35 βροτοῖσι, 43 γνώμαισι. Timocr. 1 ἀργυρίοισι κυβαλικοῖσι. Prat. I, 8 πυγμαχίαισι. Licymn. 2 βροτοῖσι. Ariphr. et adesp. 39 ἀνθρώποισι(ν). Formae ν ephelcystico insignes paulo infra enumerabuntur.

[33]) Brevioris formae exempla habes in Stes. frr. 26; 35; Ib. frr. 1, 9; 2 (tria); Sim. frr. 14; 15; 37, 3; 53; 57 (tria); 58 (duo) 62; 68; Bacch. frr. 8; 9; 13, 15; 24 (tria); 27, 4; 34. Prat. 1,8; 5; Lampr. 2; Ariphr. 1; Licym. 3 (duo).

11 ἀφθέγκτοισιν ἴσον, 13, 1 θνατοῖσιν εἰρήνα, 13, 3 θεοῖσιν αἴθεσθαι, 19 βροτοῖσιν ἐστίν, 21 ἄλλοισιν ἄλλους, 28 Βοιωτίοισιν ἐν σκύφοισιν οἶνος, 30 δειλοῖσιν ἀνθρώπων, 41 χαλκοδαιδάλοισιν ἐν ἀσπίσι. Timocr. 3 Μήδοισιν ὠρκιατόμει. Diag. 2 βροτοῖσιν ἐκτελεῖται.

§ 16.

De metaplasmis et casuum suffixis epicis —φι et —θεν.

I. Simonides (fr. 237) ὁ θάμβος pro τὸ θάμβος dixisse perhibetur; vice versa Pindarus ὁ σκότος in tertiam transtulit declinationem: frr. 18, 5; 119, 3 σκότει (dat.).

In Sim. 54 πρινός genetivi loco fungitur, cuius nom. est vulgo πρῖνος, hic autem, ut videtur, *πρίς vel *πρίν [34]); critici vero plerique Lobecki (Paral. 72) sententiam amplexi correxerunt πρίνου, qua correctura haud scio num sit opus.

Ex Ib. 55 affertur dat. κλαγγί (a st. *κλαγγ) pro κλαγγῇ recteque iam ab Herodiano cum homericis ἰλκί et ὑσμῖνι comparatur.

Metaplastici acc. sg. occurrunt hi: Ib. 49 ἀλίτροχα pro ἀλίτροχον; cf. Pindaricum διθύραμβα pro διθύραμβον (v. Lentz Herod. II, 626, 40). Pind. fr. 321 ὑψικέρατα (sc. πέτραν) a nom. ὑψικέρατος pro vulgari ὑψικέρως (Od. κ, 158 ὑψικέρων ἔλαφον). In Bacch. 51 πυργοκέρατα traditur, pro quo Bergk collato illo Pindarico speciose πύργον ὑψικέρατα scripsit. Qui metaplasmus quem Lobeck ad Phryn. 658 negat facile explanatur stirpe κερατ, quae conspicitur in subst. gen. et dat. κέρατ-ος, κέρατ-ι.

In Pind. O. V, 23 proponitur acc. ὑγίεντα, quem ex Pindari patria dialecto originem ducere puto. Nempe apud Boeotos ob mutatos ab eis sonos nominativus huius adi. ὑγίεις esse deberet ideoque nominativos adii. χαρίεις, φωνήεις prorsus aequaret, facile fieri potuit, ut interdum casus obliqui quoque confunderentur et ad similitudinem acc. χαρίεντα etc. accusativus ὑγίεντα formaretur.

Alius denique metaplasticus acc. sg. ἐέλδω in Ib. 18

---

34) Contrarium metaplasmum θιναί pro θῖνες Hesychius (θιναί· ψάμμοι· ὑψηλοὶ τόποι i. e. arenae cumuli) servavit, quem pariter Dindorf eumque secutus Schmidt in θῖνες mutarunt.

traditur ab Herodiano *περὶ μον. λεξ.* 32, 20: *ὁ δὲ Ἴβυκος ἔσθ' ὅτε καὶ θηλυκῶς προφέρεται* (sc. *ἔλδωρ*)· *'οὔτι κατὰ σφετερὰν ἐέλδωρ* (fr. 18) *καὶ ἐσθλὸν προσδεδεγμένον ἐέλδωρ* (fr. 19).'

Schneidewin (Ib. Rheg. rell. 205 sq.) quippe cum forma acc. fem. *ἐέλδωρ* incredibilis et inaudita esset utroque loco acc. *ἐελδώ* a casu recto *ἡ ἐελδώ* derivatum scripsit. Atque Lehrs (Herodiani scripta p. 111) suspicatus est a grammaticis antiquis ultro citroque disputatum esse, utrum acc. *ἐέλδω* a nom. *ἐέλδωρ* factus esset an acc. *ἐελδώ* a nom. *ἡ ἐελδώ* ut *ἠχώ* intellegendus esset, accuratiusque Herodiano fuisse dicendum 'et praeterea hoc idem *ἔλδωρ* ne utique quidem neutrum est'. — Contra Bergk quamquam dubitat tamen servavit traditam scripturam *ἐέλδωρ*.

Equidem ad neutram rationem me applicem. Id vero Schneidewino concedam, vocis femininae *ἐέλδωρ* accusativum sg. nominativo prorsus aequum nulla linguae Graecae analogia fulciri posse. Attamen cum eo Lehrsioque facere nequeo, quod Herodiani verbis omni fide abrogata utroque loco accusativum *ἐέλδω* scripserunt; immo potius librariorum calamo lapsum illic ascribam, qui hunc in modum est expediendus.

In priore frustulo, id quod iam verba aperte monstrant, Herodianus apposuit formam accusativi *ἐέλδω*, in altero vero nominativi neutrius generis *ἐέλδωρ* atque mera librari somnolentia vel aberratione ad frustulum posterius factum est, ut priore quoque loco *ἐέλδωρ* scriberetur. Nam recte Bergk ad fr. 19 monuit Herodianum ipsum (verbis *ἔσθ' ὅτε καί*) indicare Ibycum etiam altero (i. e. neutro) genere usum esse. Poëta vero cum genus vocis *ἐέλδωρ* mutaret facere non potuit, quin in accusativis et ipsam formam neutralem femininis formis adaequaret. Quapropter ad similitudinem femininorum in —*ώ*, uti *ἡ πειθώ* al., etiam a feminino *ἡ ἐέλδωρ* acc. metapl. (*τὰν*) *ἐέλδω* finxit. Simillimi acc. metaplastici sunt: *ἰχῶ* (*E*, 416), *Ἀπόλλω*, *Ποσειδῶ*, *κυκεῶ* (*κ*, 290; 316), *αἰῶ* (Aesch. choeph. 350), qui non ad vulgares stirpes in —*ωρ* et —*ους*, sed ad stirpes in —*ος* (*αἰος*, nom. *αἰώς*) reducendi sunt. — Denique quod ad accentum per-

tinet haud scio an recte agam, si acc. ἐέλδω aeque atque acc. Ἀπόλλω nativam nominativi voculationem retinuisse neque accusativorum ad quorum analogiam est formatus, voculationi se applicuisse arbitror.

Tunc etiam librarius eo facilius in errorem induci potuit, ut pro ἐέλδω scriberet ἐέλδωρ, quam si ἐελδῶ quod Lobeck, vel ἐελδώ quod Schneidewin statuerunt, ab Herodiano scriptum exstitisset.

II. Pindarus suffixum φι vitasse videtur neque tamen Ibycus, apud quem certo legitur in fr. 2, 5 σὺν ὄχεσφι (cf. Il. X, 22 σὺν ὄχεσφιν) et fr. 56 Λιβυαφιγενής; ad alterum conferas Ἰφιγένεια, Ἰφιάνασσα (cf. *A*, 38 ἶφι ἀνάσσεις), Ἰφικλῆς, Ἰφιδάμας (cf. *T*, 417 ἶφι δαμῆναι).

Simonidem quoque subinde suffixum φι recepisse colligere licet ex fr. 37, 19 κνοφιδίκας (Reg. Quelf. Ald.; τεκνόφιδίκας Victor. p). Quamquam corruptelae κνοφι subesse τεκνόφι suspicari simplicissimum est, tamen plerique critici excepto Schneidewino, qui (Sim. C. rell. 74) τεκνόφι δίκαν i. e. pueruli gratia scribit, id negarunt maxime, ut opinor, eam ob causam, quod usus suffixi φι pro vero casu genetivo atque accusativi δίκαν pro χάριν ‚causa' insolens sit, atque Victorini coniecturam νόσφι δίκας adamaverunt. At adv. νόσφι sensu tralaticio ‚ἄνευ vel ἄτερ' proinde est inusitatum. Tum νόσφι δίκας praebet sensum malum, τεκνόφι δίκαν vero optimum. Usus autem suffixi φι pro genetivo etsi est rarus, non est singularis. Nam in Il. *Φ*, 295 κατὰ Ἰλιόφι κλυτὰ τείχεα et Od. *μ*, 45, πολὺς δ' ἀμφ' ὀστεόφιν θὶς ἀνδρῶν πυθομένων (cf. praeterea *Λ*, 350; *Π*, 762) Ἰλιόφι et ὀστεόφιν non possunt nisi pro veris genetivis accipi. Dein etiamsi illud Aeschyleum τοῦ δίκην; Prom. 614, quod Schneidewin citat, non plane cum nostri loci condicione congruit, tamen ex eo cognoscitur, δίκην non multum abhorrere ab illa quae flagitatur significatione ‚causa'. Ceterum non tam contemnenda est scriptura Schaeferi, quam proposuit in ed. Dion. Hal., τεκνόφι δίκᾳ ‚ob iustam fili causam'. Denique si commatis signum Rauchensteino (Iahn. Iahrb. LXXI, 279) auctore post vocem δίκαν ponitur, haec verba explicare licet: quod audacius precor liberorum instar, mihi ignoscas

velim. Qua interpretatione omnes grammaticae tolluntur difficultates.

Quod vero Ahrens (verh. d. Gött. Phil. vers. 71) epicarum formarum in —φι usum a dialecto lyricorum abhorrere contendit, iam exemplis Ibyceis infringitur. Deinde ex elegiacis, qui plerumque illud suffixum fugiebant, semel Theognis θύρηφι (v. 111) posuit.

Atque ut Alcmanis mirum vocativum ὠρανίαφι (fr. 59) omittamus cum insolito usu suffixi φι Simonideo pariter insolens Ibyceus suffixi localis —θεν est componendus.

Exhibetur enim in fr. 1 παίδοθεν pro genetivo obiectivo, quandoquidem est cum ἔρος coniungendum et explicandum: ἔρος παρὰ παιδὸς ᾄσσων (cf. ἔρος παρὰ Κύπριδος ᾄσσων, paulo ante dictum), nec quicquam aliud est nisi ἔρος παιδός vel παιδικός ‚amor in puerum'. Schneidewini autem et aliorum virorum doctorum explicatio ‚amor a pueritia' vel ‚inde a primis pueritiae annis' vel propterea reicienda est, quod Athenaeus hoc Ibyci fragmentum profert, ut poëtae masculorum amorum specimen lectoribus proponat; cf. Hermann, Iahn. Iahrb. VIII, 379. Qua in re conferas velim pronominum personalium genetivos ἐμέθεν, σέθεν, ἕθεν, qui in Aeolide Lesbiorum peculiares genetivi formas ex usu depulerant.

Praeterea θεόθεν apud Ariphronem usu noto pro ‚παρὰ θεοῦ' ponitur.

§ 17.

De adiectivis.

1., Adiectiva in —υς terminata in feminino semper —εια tenent neque omnino a vulgari declinatione recedunt: λιγεῖα Stes. 44. 45. ὠκεῖα Sim. 32. πλατεῖα Bacch. 37. acc. βραχύν Diag.; neutrum pl. ὠκέα Pind. cf. Peter p. 47.

2., Sim. 57; Pind. P. II, 50 exhibent adi. θαλασσαῖος pro θαλάσσιος (cf. epicum ἀγελαῖος, al.) et Pind. J. II, 48 vel ἠθαῖος pro ἠθεῖος (a st. ἦθες); cf. K. Zacher, De nominibus graecis in —αιος p. 136 sq. et p. 30 sq.

3., Deinde epicae formae leguntur adiectivorum ἀπάλαμνος Sim. 5; Pind. O. II, 57, sed Pind. O. I, 59 ἀπάλαμος,

et πυκινός Bacch. 4; Ib. 17. Pindarus et forma πυκινός et πυκνός utitur.

4., Sim. 38 formam adi. mascul. cum substantivo fem. gen. coniunxit: δασπλῆτα Χάρυβδιν; feminina vero forma δασπλῆτις est obvia in Od. o, 234 et Theocr. II, 14.

5., Duplicis comparationis, quae maxime poëtis est propria, exemplum praebet Telesilla fr. 6 βελτιωτέρας, quam formam Lobeck pro corrupta βελτιώτας recte reposuit. Formae prorsus aequae μαλιώτερος, ἀμεινότερος, al. reperiuntur apud poëtas elegiacos; cf. Renner Stud. I, 2, 17.

6., Stesichorum fr. 95 in superl. ὑπερθυμέστατος et saepe Pindarum in aliis pro vulgari eorum terminatione alteram —εστατος adiectivis in —ης peculiarem admisisse Eustathius p. 1441, 13 testatur. Exx. Pindarica Peter p. 48 et Dorica Ahrens II, 687 congesserunt. Quem usum ne atticis quidem scriptoribus ignotum fuisse ex exemplis a Kühnero (ausführl. Gramm. I, 433) collectis satis elucet.

§. 18.

De pronominibus.

a., Pronominum personalium praeter aeolicas doricasque formas supra (§ 5, II a et § 7, III) iam appositas paucae tantum eae sunt laudandae, quas chorici ex lingua epica asciverunt; sunt enim II. personae genn. σέο Sim. 37, 16; Pind. saepius, σεῦ Ariphr., Pind., σεῖο Ariphr., σέθεν Ariphr., Pind.; dat. τοί Sim. 37, 13; Pind. saepius, et III. personae acc. μίν, quem quinquies Simonides exhibet; apud Pindarum, in cuius epiniciis idem μίν saepius traditur, Hermann et Mommsen (v. Peter 50) ubivis doricum νίν scripserunt; haud scio an falso.

In universum horum pronominum apud choricos schema hoc est:

	I. pers.	II. pers.	III. pers.
sg. nom.	ἐγώ S. P. ἐγώνP.	σύ S. B. P. St. Ar. τύ P. τύγε Tim.	
gen.	—	σέο S. P. σεῦ Ar. P. σεῖο Ar. σέθεν Ar. P.	οὗ P.
dat.	ἐμοί I. P. μοί S. P.	τοί S. P. σοί Tp. Pr. P. τίν P.	οἷ P. οἱ St. [αὐτῷ S. 8]
acc.	ἐμέ Pr. P. μέ S. I. P.	σέ St. I. S. B. P.	ἕ P. μίν S. P. νίν I. B. P.

	I. pers.	II. pers.	III. pers.
pl. nom.	ἄμμες P.	—	—
gen.	—	—	—
dat.	ἄμμι P. ἄμμιν P. S. B.	ὔμμι P. ὔμμιν P. S. ὑμῖν (?) P.	σφίσι(ν), σφί(ν) P.
acc.	ἄμμε P.	ὔμμε P.	σφέ P. σφάς S. 23. νίν B. P.

b., Ex pronominibus possessivis notandum est epicum et doricum *τεός* Sim. 37, 9 et epicum *ἑός* Bacch. 19. Pindarus utrumque habet saepius; v. Peter p. 51.

c., Pronomen *ὁ ἁ τό*, quod etiam apud choricos vulgo articuli vicem explet, praeterea apud eos non minus quam apud Homerum et vim demonstrativi retinuit et relativi partes suscepit.

Demonstrative posuit Stes. 8 *ὁ δέ*, 42 *τᾷ δέ*, *ἐκ δὲ τοῦ*. Sim. 40 *τοῦ*, 71 *τᾶς δ' ἄτερ*. Ib. 8 *τοῦ μέν*. Bacch. 33 *τοὶ δέ*, sed 34 et Timocr. 1, 12 *οἱ δέ*. Attamen pronn. demm. compp. quoque *οὗτος* (Stes. 26, Sim. 79) et *ὅδε* (Sim. 4; 75; Bacch. 24) eis sunt nota.

Relativi autem loco fungitur articulus et nudus et particulis *τε* vel *ῥα* adiectis: Stes. 7 *τό ῥα*, Sim. 44 *τόν*, 5, 14 *τούς* (ex Hermanni ob metrum emendatione), 5, 7 *τοῖσί τε*; in fr. 18 *τάν τε* pro tradito *τάν γε* est scribendum. Vulgare vero relativum exstat in Bacch. 19 *ὅς δέ*, 29 *ὅς*. Sim. 5; 53 *ὅς*, 5, 11 *ὅν*, 58 *ᾧ*, 36 *οἵ*, 18 *αἵ*. Lampr. 2 *αἵ τε*.

d., Denique pronominis *ἐκεῖνος* (Sim. 60) epicam quoque formam *κεῖνος* (Stes. 35; Sim. 39) et pronomina negativa et *οὐδείς* Ib. 1, 7. Sim. 61. Bacch. 2. Pind. saepius et id quod poëtis magis est proprium *οὔτις* Pind. (ter); Sim. 61. Ariph. 1, 9 adhibuerunt.

§ 19.

De verbis.

I. De terminationibus verborum pauca sunt quae dicam. Tertiae pl. aor. pass. brevioris formae exempla Pindarica exstant complura, uti in P. III, 36 *ἔφθαρεν;* cf. Peter p. 59. Pariter in adesp. 39 *ἔσσυθεν* (recte Scaliger; vulgo *ἔσσυθον*).

In infinitivis activis Pindarus modo vulgarem ter-

minationem —*ειν* in coniugatione thematica vel —*ναι* in altera modo epicam doricamque —*μεν* usurpat; v. Peter p. 56; 63. In Stesichori, Ibyci, Bacchylidis fragmentis non occurrunt nisi infinitivi in —*ειν*. Simonides vero praeter clausulam —*ειν* bis exhibet epicam —*μεν*: *μιγνύμεν* 31, *εὑρέμεν* 30 neque Hermanni coniectura *εὑρεμέναι* est probanda, siquidem cum Pindarus tum alii poëtae et chorici et elegiaci (v. Ahr. verh. d. Gött. Phil. vers. 57) in prima coniugatione infinitivi epici in —*εμεναι* exeuntis usum defugiebant. Quam terminationem —[ε]*μεναι* vel in verbis alterius coniugationis semel tantummodo ascivit Pind. O. XIV, 9 *θέμεναι* semelque Alcman fr. 100 in epica v. *ἔδμεναι*.

II. Chorici epicam linguam secuti augmentum modo assumunt modo omittunt. Omiserunt vero augmentum

a., syllabicum: Stes. 3 *νίκασεν*, 7 *πῖνεν*, 35 *λάθετο*. Ib. 5 *θρέψαν*, 16 *κτάνον*, 22 *νέμοντο*. Sim. 37,4 *βάλλε*, 39 *λάχον*, 40 *πωτῶντο*, 43 *τέκεν*, 48 *ναῖεν*, 53 *νίκασε*, 65 *κίχε*, 5,9 *φάτο*. Bacch. 33 *ἔντυνον*.

b., temporale: Stes. 38 *ἀπάειρε* (cf. § 9, VIII). Sim. 48 *ἔνασσεν*, 23 *παράϊξαν* (corr. Bergk; vulgo pravum *παρήϊσαν*), *ἀέρθη* (cf. § 9, VIII). adesp. 39 *ἄασαντο* et 101 *ὑπάκουε*.

Auxerunt autem augmento temporali praeter supra (§ 2 A III; B VIII) allata haec praeterita: *ἵκεο* Stes. 26, *ἐξίκοντο* Sim. 36, *ὦρτο* 41, *ὤνασα* 55 (Schneidew. nullo iure *ὄνασα*), *ὡρκιατόμει* Timocr. 3 (corr. Bergk; vulgo *ὅρκια τέμοι*, F *ὅρκια τομή*, *A* — *τέμνω*, x — *τέμνει*), *ᾤκτειρε* Stes. 18, *ηὔχοντο* Timocr. 1, 12, sed Pind. *εὔχοντο* (O. VI, 53; P. IX, 160).

De *ἔνεικε* (Sim. 80) et *ἵκετο* (48) certum iudicium fieri nequit, quod alterum est corruptum alterum coniectura dubia.

III. Ex epicis quae chorici adhibent verbis insignia sunt maxime haec: Stes. 35 *ῥέζων*, 32 *κλείουσα* (cf. Pind. IX, 16 *Κρείοισα* et epic. *κρείων* et *κρείουσα*) et in adesp. 39, quod Stesichoro Bergk tribuit, *ἀάσαντο*, *ἐμμεμαῶτες*; item Ib. 16 *γεγαῶτας*. Sim. 5, 17 *αἰνίμεθα*, 5, 16 *διζήμενος*, 36 *πέλομαι*, 37 *κέλομαι*, 39 *ἐπικρέμαται*, 30 *πέταται*. — Pindarus et epicoionico v. *ἀέξω* (N. II, 15 al.) et vulgari *αὔξω* (N. VII, 32 al.) usus est. Ibycus habet in fr. 1 *αὐξόμεναι*; quae forma *αὔξω* primo in Mimn. El. 2, 2 *αὔξεται* apparet. — Ibycus

verbi δείκνυμι part. perf. pass. δεδεγμένος in fr. 19 προδεδεγμένων [35]) ascivit. Conferas epicae dialecti πεφυγμένος (Z, 488), πέπυσμαι, alia similiter formata. — In Timocr. fr. 2 reperitur part. perf. ἐοικός; quam quidem formam et ipse Pindarus decies scripsit, semel vero εἰκώς (J. IV, 45), quod Boeckh in εἴκων mutavit; at v. Ahr. II, 440.

IV. Verbi substantivi apud choricos schema est hoc:

praes. ind. sg. 1. εἰμί P. μέτειμι St. 46. — 2. ἐσσί P. — 3. ἔστι(ν) vel ἐστί(ν) P. St. S. I. B.
pl. 1. εἰμέν Pind. P. III, 60. — 3. εἰσί B. 34; εἰσίν Pind. P. V, 116; ἐντί Timocr. bis, Pind. decies.
coni. ᾖ Sim. 5, 3.
opt. εἴην, εἴη P.
inf. ἔμμεναι Sim. 5, 9, 10. Prat. 1, 9. P. ἔμμεν P. εἶναι (?) P. J. VI, 20.
part. ἐών P. saepius; Sim. 32; Timocr. I, 6. ἐοῖσα P.
imperf. 3. sg. ἦν P. S. ἔσκεν Pind. N. V, 31. — 3 pl. ἔσσαν, ἔσαν, ἦσαν P.
fut. ind. 1. ἔσσομαι, ἔσομαι P. — 3. ἔσσεται P. saepe, ἔσεται P., Sim. 32. ἔσται P., Sim. 69.
inf. ἔσσεσθαι, ἔσεσθαι P.
part. ἐσσόμενος P.

De forma plane ionicoepica ξυνέασιν supra (in calce § 2, III) disseruimus.

§ 20.

De schemate, quod vulgo dicitur Ibyceum.

Ex Ibyco verborum formae ἐγείρῃσιν (fr. 7) et ἔχῃσι (fr. 9) et ex Bacchylide θάλπῃσι (fr. 27) traduntur, quas indicativos vel coniunctivos indicativorum vice positos esse vulgo credunt viri docti. Sed hanc opinionem esse falsam Curtius (Verb. I^2, 58 sq.) et Ahrens (II, 302 sq.) probarunt rectam in formis diiudicandis viam ingressi; nec tamen omnes in partes hanc quaestionem absolverunt. Operae igitur forsan pretium sit hanc rem denuo perscrutari et inquirere, quantum ex antiquorum grammaticorum de ea re testimoniis concludi liceat.

Tres autem eorum de his formis diversae exstant sententiae.

---

35) Ἐσθλὸν προδεδεγμένων ἐέλδωρ ‚bona praedictarum rerum spes' optimum habet sensum nec probo Schneidewini ποτιδεγμένων.

Primam quae est Aristarchi profert schol. Ven. Hom. *E*, 6 *παμφαίνησι ἡ διπλῆ· ὅτι ἀντὶ τοῦ παμφαίνῃ· πλεονάζει δὲ Ἴβυκος τοιούτῳ.* Qui grammaticus non cogitasse videtur nisi de coniunctivo.

Cuius sententiae non ita valde repugnat altera Aeli Herodiani rhetoris in libello *περὶ σχημάτων* (cf. Spengel, rhetores graeci, III, 101) prolata: *τὸ δὲ Ἰβύκειον καὶ λέξεως καὶ συντάξεώς ἐστιν· γίνεται δὲ ἐν τοῖς ὑποτακτικοῖς τρίτοις προςώποις τῶν ῥημάτων κατὰ πρόςθεσιν τῆς σι συλλαβῆς* (citat. Il. E, 6; Od. *α*, 204). *καλεῖται δὲ Ἰβύκειον, οὐχ ὅτι πρῶτος Ἴβυκος αὐτῷ ἐχρήσατο (δέδεικται γὰρ παρ' Ὁμήρῳ πρότερον), ἀλλ' ἐπεὶ πολὺ καὶ κατακορὲς παρ' αὐτῷ* (citat Ib. fr. 7 et 9), *ἐγείρῃσι ἀντὶ τοῦ ἐγείρῃ.*

Quibus in verbis Herodianus cum Aristarcho eo congruit, quod *ἔχῃσι* et *ἐγείρῃσι* coniunctivi formas esse docet, sed dissentit, quod illo syntaxis schemate Ibycum istos coniunctivos indicativorum vice posuisse dicere mihi videtur.

Quae Herodianus leviter significavit, Lesbonax grammaticus ni fallor eius doctrinam excipiens aperte praecepit in libello *περὶ σχημάτων* ap. Valck. Amm. 166: *Ἰβύκειον* (sc. *σχῆμα*)· *ὡς τὸ λαμπρὸν παμφαίνῃσι, καὶ λύχνος φαίνῃσι· ἀντίστροφόν ἐστι τῷ Κορινθίῳ, ὑποτακτικῷ χρώμενον ἀντὶ ὁριστικοῦ.* Prius exemplum ex Il. *E*, 6 Lesbonactem deprompsisse, alterum uti assolet de suo finxisse est in aprico.

Ab his plane recedit Heraclides grammaticus, qui et *ἔχῃσι, ἐγείρῃσι* et *νόῃσι, φίλῃσι* veros esse indicativos ex Rheginorum sermone sumtos profitetur. Cuius praeceptum aliorum diversis sententiis intermixtum servavit Eustathius ad Od. *η*, 197 p. 1576, 56: *ἰστέον, ὡς εἴπερ μὴ ἐγράφετο Κατακλῶθές τε βαρεῖαι, ἀλλὰ κατακλώθῃσι βαρεῖα ἦν ἂν τὸ ῥῆμα Ῥηγίνων διαλέκτου, οἳ καθ' Ἡρακλείδην τὰ τρίτα τῶν ὁριστικῶν περισπωμένων τῆς πρώτης συζυγίας καὶ τῶν βαρυτόνων δὲ ῥημάτων κατὰ τὸ ἑνικὸν εἰς τὴν σι συλλαβὴν περαιοῦσι* (Ahr. *περατοῦσι*) *τοῦ η παραλήγοντος· τὸ γὰρ φιλεῖ καὶ νοεῖ καὶ λέγει καὶ φέρει φίλῃσι, φησί, καὶ νόῃσι καὶ λέγῃσι καὶ φέρῃσι· τοιοῦτον δὲ καὶ τὸ λαμπρὸν παμφαίνῃσι παρ' Ὁμήρῳ, ἅπαξ, φησί, χρησαμένῳ τῇ διαλέκτῳ ἐπὶ τούτου. καλεῖται δὲ καὶ τὸ σχῆμα Ἰβύκειον ὑπὸ τῶν γραμ-*

ματικῶν διὰ τὸν μελοποιὸν δηλαδὴ Ἴβυκον φιληδήσαντα τοιαύτῃ γλώσσῃ. εἰ δή, φησί, καὶ τὸ ῷ τουτέστιν ὑπάρχω πρώτης ἐστὶ συζυγίας κατὰ τὸ φιλῶ καί ἐστι τρίτον αὐτοῦ εἶ, δωριζόμενον κατὰ Ῥηγίνους γένοιτ' ἂν ὁμοίῳ λόγῳ ἐκ τούτου ἦσιν ὁ ἐνεστώς· Ἰστέον δέ, ὅτι οὐ περὶ τρίτων αὐθυποτάκτων ἐστὶν ὁ λόγος, ὁποῖον τὸ λάβῃ, λάχῃ, ἐξ ὧν λάβῃσι, λάχῃσι. αὐτὰ γὰρ καὶ ὅσα τοιαῦτα οὐ Ῥηγίνων εἰσί, ἀλλὰ Ἰώνων.

Quo in praecepto Eustathius verbis: *οἳ* (sc. *Ῥηγῖνοι*) *τὰ τρίτα τῶν ὁριστικῶν — ἐπὶ τούτου* atque porro: *εἰ δὴ καὶ τὸ ῷ — ἦσιν ὁ ἐνεστώς* plerumque verbo tenus Heraclidis doctrinam reddit; contra verbis *καλεῖται δὲ τὸ σχῆμα — τοιαύτῃ γλώσσῃ* ad Herodiani illam spectat. In fine vero verbis: *ἰστέον δέ, ὅτι οὐ — ἀλλὰ Ἰώνων* vel tertiam quandam suppeditat sententiam.

Porro *σχῆμα Ἰβύκειον* omnino non commemorans illas plane diversas de veris coniunctivis vel indicativis sententias tradit gramm. Et. M. 650, 56: *παμφαίνῃσι, ἔχῃσι καὶ τὰ τοιαῦτα ἔχει τὸ ι προςγεγραμμένον κατὰ τὴν παραλήγουσαν· ἔστι γὰρ ἐὰν παμφαίνω καὶ τὸ τρίτον παμφαίνῃ· καὶ λοιπὸν κατ' ἔκτασιν τῆς σι συλλαβῆς γίνεται παμφαίνῃσι καὶ ἔχῃσιν* [36]) *ἤ ἐστι φαίνω, φαίνεις, φαίνει· διαλέκτῳ δὲ Ῥηγίνων γράφεται τὸ τρίτον πρόςωπον διὰ τοῦ ῃ μετὰ τοῦ ι· τὰ γὰρ νοεῖ καὶ φιλεῖ νοῆσι καὶ φιλῆσι λέγουσιν ἐκεῖνοι πλεονασμῷ τῆς σι συλλαβῆς· οὕτω καὶ τὸ παμφαίνῃσιν Ἰλιάδος ε.* Quibus ultimis verbis Heraclidis doctrinam, sed confuse proferri in promptu manifestumque est.

De hoc tantum dubitare licet, ad quemnam grammaticum quamve grammaticam scholam sit referenda doctrina quam Eustath. in fine, Etym. M. primo loco, Phavor. professi *παμφαίνῃσιν* etc. re vera esse coniunctivos atque ionicae dialecto proprios tradunt. Equidem Aristarchi Aristarcheorumque eam esse credo primum propter illam Aristarchi ad Il. *E*, 6 *διπλῆν*, tum propterea, quod Heraclides, adversarius aequalisque Apri Aristarchei totiusque Aristarcheae disci-

---

36) Quocum paene verbo tenus consentit Phavor. 339 Dind.: *παμφαίνῃσιν· κατὰ ἐπέκτασιν ἀπὸ τοῦ ἐὰν παμφαίνω παμφαίνῃς παμφαίνῃ* p. 308 annotans: *τὸ ἔλθῃσιν, ἔχῃσιν, λάβῃσι καὶ τὰ ὅμοια ἰωνικά (ἐστι).*

plinae, etiam hac in re illorum praecepta oppugnans suam illam contrariam opinionem proposuisse mihi videtur. Quam ad controversiam Eustathi illa verba in fine allata: *αὐτὰ γὰρ οὐ Ῥηγίνων εἰσί, ἀλλὰ Ἰώνων* respicere verisimillimum est. Aristarchei igitur a 3. coni. aor. II. *λάβησι, λάχησιν* (v. Eustath. in fine), quae formae nullo modo pro indicativis accipi possunt, progressi recta ratiocinatione etiam praesentis formas *παμφαίνησιν, ἔχησι* et Homericas et Ibyceas (v. schol. ad Il. *E*, 6) coniunctivos esse statuerunt atque quoniam primum saepiusque in epica lingua occurrunt, ionicae dialecto ascripserunt. Heraclides vero eiusque secta — id quod ex Eustathi clariusque ex Etym. M. verbis elucet — ab Ibyceis formis *νόησι, φίλησι* verborum purorum *νοέω, φιλέω* profecti de barytonorum verborum formatione *ἔχησι, ἐγείρησι* etc. idem tulerunt iudicium omnibus his formis variis Rheginorum attributis sermoni.

Neque tamen illarum formarum ullas Rheginis ulla ratione ascribi posse dilucide probarunt Ahrens II, 302 sq. et Curtius Verb. I, 58 sq. Etenim apud Dores, quorum certe sunt Rhegini, earum terminatio sine dubio in —*τι* pro —*σι* exire debebat. Tum productio diphthongi $\overline{\varepsilon\iota}$ ad $\overline{\eta\iota}$ in indicativi p. 3. sg. omnibus linguae graecae legibus repugnat. Immo dorica dialectus vel in coniunctivorum p. 3. sg. amat clausulam $\overline{\eta\iota}$ in $\overline{\varepsilon\iota}$ attenuare; cf. Ahr. II, 294; Curt. Verb. II, 74. Denique iam principio est Heraclidis opinio caduca, quod Homerum formationem *παμφαίνησιν* ex Rheginorum lingua repetiisse iudicat; nulla vero de causa Rheginas illas formas esse ratus est nisi quod apud Ibycum Rheginum repperit.

Ut vero hanc totam de tam famoso tamque saepe tractato schemate Ibyceo quaestionem prospere expediamus, idem quod fecit Heraclides nobis faciendum est, ut a formis *φίλησι* et *νόησι* procedamus.

Formae *φίλησι* et *νόησι*, quas Ibycum usurpasse Heraclides testatur, re vera sunt indicativi ad regulam deducti ab aeolicis verbis *νόημι* et *φίλημι*. Nempe tametsi dialectus Lesbia in una tantum adhuc horum verborum forma *ἦσι* (Sapph. 97) terminationem —*σι* ostendit, in lingua epica — ne dicam de attica, quae hanc ad rem non valet — verba

in —μι cadentia eam frequentant. Quorum ex analogia Ibyco facile erat permissum ad aeolicum verbum νόημι tertiam sg. ind. νόησι formare, uti ad ὀνίνημι ὀνίνησι, ἵημι ἵησι etc. Atque ab hoc Homeri usu re vera non declinasse choricos exemplo est Pindarus, qui formas τίθησι, δίδωσι, δείκνυσι praeter usitatas aeolicas, ut δίδοι, et doricas, ut ἐφίητι (Peter 62; 64), exhibet. Ceterum φίλησι et νόησι ad coniunctivos redigi nequaquam possunt — id quod grammaticus Et. M. perperam molitus est scriptura νοῇσι, φιλῇσι praeceptoque: γράφεται διὰ τοῦ η̄ μετὰ τοῦ ῑ — quia si coniunctivi esse debebant, Ibyco scribendi erant contractione intermissa νοέῃσι, φιλέῃσι, siquidem chorici in contractis et dissolutis verborum purorum vocalibus cum epicis prorsus congruunt. Epicam autem linguam in horum verborum coniunctivis vocales semper seiunctas posuisse satis est notum; cf. ο, 70 φιλέῃσιν; ε, 328; ι, 10 φορέῃσιν, alias alia.

Ab illis autem indicativis Ibyceis νόησι et φίλησι Heraclides facile in eum errorem induci potuit, ut etiam verborum barytonorum coniunctivos ἔχῃσι, ἐγείρῃσι similes indicativos esse arbitraretur, quippe qui in enuntiationibus secundariis starent, in quibus particula ἄν vel κέν coniunctivo propria, velut saepe in epica et lyrica poësi (cf. Sim. 5, 20), omissa erat atque pro re nata et ipse indicativus locum habere poterat. Et reapse Heraclidem illi errori obnoxium fuisse declarat, quod etiam homericum coniunctivum παμφαίνῃσι pro indicativo accepit; qua in re vel I. Bekker (Homer. Blätter I, 219) eius partes quodammodo sequitur. Quid, quod Heraclides vel in coniunctivo homerico ᾖσιν verbi substantivi miro modo eandem explicationem (κατὰ τὸ φιλῶ) adhibere conabatur.

Quid vero Aristarchus eiusque schola de Ibyceis indicativis νόησι, φίλησι similibus iudicaverint, nescimus. Fortasse vero cum eos indicativos esse appareret, ab hac controversorum coniunctivorum in enuntiatis relativis positorum quaestione secluserunt.

Rhetorum denique secta, quorum doctrinam Aelius Herodianus litteris mandavit, inter se has oppositas grammaticorum sententias conciliare studens illas formas verborum

barytonorum coniunctivos indicativorum vice positos esse censebat itaque illud famosum schema Ibyceum reperiebat pari ex libidine qua inventum est schema Corinthium, de quo Lesbonax tradit: *Κορίνθιον* (sc. *σχῆμα*)· *ὡς τὸ, ὅπως ἔσται τάδε ἔργα* (Il. *B*, 252)· *καὶ, ἵνα εἴδομεν ἄμφω* (*A*, 363). *Ὁριστικοῖς γὰρ χρῶνται ἀνθ' ὑποτακτικῶν, ὡς τὸ, ὁππότ' ἂν ἡβήσει* (falso legitur pro *ἡβήσῃ*) *τε καὶ ἧς ἱμείρεται αἴης* (*α*, 41). Unde luce clarius vides, quam nihil auctoritatis illis rhetoribus et grammaticis talibus in quaestionibus syntacticis et dialecticis sit tribuendum. Nam *εἴδομεν* et *ἱμείρεται* nequaquam esse indicativos, sed re vera coniunctivos unusquisque nostrum scit, qui Curti viri doctissimi de his formationibus verba (Verb. II, 58 sq.) legerit. Tum vero et in hoc ipso de Corinthio schemate praecepto proinde atque illic ab Heraclide coniunctivi (*εἴδομεν, ἱμείρεται*) et indicativi (*ἔσται*) confunduntur.

Neque illa frustula quae proposuit Herodianus ipsa ullum, uti recte Bergk ad Ib. fr. 9 monuit, adhibent lumen quaestioni, utrum *ἐγείρῃσι* et *ἔχῃσι* indicativi sint an coniunctivi, cum locos non integros ascripserit. Atque in Bacch. fr. 27 verisimilius est, particulam coniunctivum recipientem velut *ὅταν* vel *ὁπόταν* (cf. Pind. fr. 203, cui simile atque huic est argumentum, cum coniunct. *ἀνίκα* incipiens) supplendam tumque *θάλπῃσι* et *διαιθύσσῃ* pro codd. *θάλπησι* et *διαιθύσσει* scribendum esse, siquidem ineunte illo fragmento metrum lacunam certe indicat.

Neque porro veteres istos grammaticos et rhetores non tam Ibyceas formas, quam illam homericam *παμφαίνῃσιν*, de qua in omnibus eorum testimoniis certatur, cum ex verborum contextu non manifeste appareret, num esset indicativus an coniunctivus, explanare studuisse obliviscendum est. Itaque Aristarchei ad similes aoristi II. coniunctivos respicientes et ipsam hanc praesentis temporis formam esse coniunctivum rectissime probaverunt, contra Heraclides ad Ibyceos indicativos illos verborum in —*έω* recurrens etiam *παμφαίνῃσιν* similem indicativum esse statuit. Rhetorum demum inventum schematis Ibycei viros doctos induxit, ut imprimis agi de Ibycea quadam proprietate opinarentur.

Mea igitur sententia Ibycus partim in similitudinem epicorum verborum *τίθησι, ἵησι, ὀνίνησι* ab aeolicis quoque verbis *νόημι, φίλημι* etc. tertiam indicativi sing. *νόησι, φίλησι* finxit, partim homericum usum imitatus coniunctivos istos verborum barytonorum *ἔχησι, ἐγείρησι* in similibus enuntiationibus relativis atque Homerus adhibuit. Quos coniunctivos Ibycus reapse ab epica lingua mutuatus videtur esse; nam *ἔχησι* in sententia Ibyceae simillima occurrit: *α*, 95:

ἠδ' ἵνα μιν κλέος ἐσθλὸν ἐν ἀνθρώποισιν ἔχησιν

atque *ἐγείρησιν* reperis *K*, 511.

Quae cum ita sint, *σχῆμα Ἰβύκειον* non Ibyci poëtae errori, quam Ahrentis (verh. p. 70) opinionem iam Curtius refellit, sed mero rhetorum et grammaticorum graecorum invento tribuendum est.

Caput VIII.

De singulis quibusdam rebus.

Denique reapse nonnulla inveniuntur, in quibus apud choricos dialecti aliquod discrimen conspicimus. Neque tamen omnes illae res, quae raro aut ut maxima pars semel obveniunt, apud ullum tanti sunt momenti, ut eius dialecti naturam et indolem ab ceteris multum seiunxerint.

§ 21.

De formis Stesichoro Ibycoque peculiaribus.

Stesichorus Ibycusque quamvis reconditiores formas vocesque dialecticas vitare studerent, tamen ut ubique eas omitterent eos non esse assecutos apparet ex singulis nonnullis formis, quae non usu veniunt nisi in Siculorum Italiotarumque sermone vel apud hos poëtas solos.

I. Quaedam a poëtis ex patrio sermone recepta.

1., De declinatione nominum propriorum, quae vulgo in —*εύς* desinunt.

Priscianus VI, 92 (cf. Ib. fr. 10) tradit: Romanos graeca nomina propria *Ἀχιλλεύς* Achilles, *Περσεύς* Perses, *Ὀδυσσεύς* (iure pro codd. *Οὐλιξεύς* repositum a Schneidewino, Ib. Rheg.

rell. 143) Ulixes pronuntiasse; in quo eos Dores (sc. Siculos et Dorienses Magnae Graeciae) sequi, qui pro *Φυλεύς* *Φύλης*, pro *Ὀρφεύς* *Ὄρφης* et *Ὄρφην*[37]) dicant, pro *Τυδεύς* *Τύδης*; sic Antimachum dicere *Τύδης* et vocativum *Τύδη*; similiter Ibycum *ὀνομακλυτὸν* *Ὄρφην*.

Porro Diomedes I, 321 ed. Keil Ibycum *Οὐλίξης* (codd. Ulixes et Olixes) dixisse testatur; v. Ib. fr. 11.

Denique teste Plutarcho Marcell. 20: *πόλις ἐστὶ τῆς Σικελίας Ἐγγύϊον· καὶ λόγχας τινὰς ἐδείκνυσαν (ἐν ἱερᾷ) . . . ἔχοντας Οὐλίξου τουτέστιν Ὀδυσσέως ἐπιγραφὰς ἀνατεθεικότων ταῖς θεαῖς* Siculos — nam hoc nomen illis donis Siculos, non Cretes vel heroem ipsum inscripsisse consentaneum est — genetivum *Οὐλίξου* protulisse comperimus.

Traduntur igitur ex Siculorum Dorismo talium nominum propriorum hi casus:

nom.: *Οὐλίξης*[38]) Ibyc., alii, *Ὀρφήν* Herod. et Prisc. — gen.: *Οὐλίξου* teste Plut. — acc.: *Ὄρφην* Ibyc. — voc. *Τύδη* Antim.

Ibycum *Ὀλυσσεύς* vel *Ὀλιξεύς* pronuntiasse ex Diomedis verbis Bergk (Ib. fr. 11) perperam coniecit, cum nominativi terminationem —*ης* et Diomedes ipse, qui formam Ulixes edidit, et Priscianus testentur et vocalem *ου* in fronte pro *ο* Plutarchus confirmet.

Dein de casu *Ὄρφην* (Ib. fr. 10) vehementissime erraverunt et Bergk et Schneidewin, quorum alter *Ὀρφήν* nominativum esse censet, alter apertissime traditum accusativum *ὀνομακλυτὸν* *Ὄρφην* in vocat. *ὀνομάκλυτος* *Ὄρφη* satis audacter mutat, uterque Prisciani verbis haud sane claris seductus. At Priscianum non de nominativis solis, sed de declinatione id genus nominum universa verba facere satis liquet.

Quam quidem nominum propriorum declinationem nonnulla titulorum et doricorum et arcadicorum confirmant exempla. Plane enim aequi nominativi *γραφής* et *ἱαρής* saepius

---

37) Qui nom. *Ὀρφήν* (cf. Herod. I, 14 Lentz) si verus est, conferri potest cum nominativo *Ζήν*, *Δήν* vel boeotice *Δάν*, *Ζᾶν* (Ar. Av. 570); cf. Herod. III, 911 Lentz.

38) De nominis stirpe et litteris v. Roscher, Curt. Stud. IV, 196 sq.

leguntur in titulis arcadicis; v. Baunack Stud. X, 134 sq. Deinde haud ita raro nominum proprr. III. decl. in —ης (gen. —εος) in titulis doricis exstant accusativi in —ην: *Στρατοκλῆν* Astyp. 2488; *Θεοκλῆν* Foucart. syll. nr. 435, 16, alii, et genetivi in —ου: *Φερεκράτου* Anaph. nr. 7 R; *Πρωτογένου, Πασικλέου* Fouc. 5, 64 sq.; *Εὐτέλου* Fouc. et Wesch. inscr. rec. à Delphes 4, 13, et vocativus *Σωκράτη* (C. I. G. 1148). — Alia huiusmodi accusativorum et genetivorum exempla collegerunt Curtius (Berichte, 1864 p. 224), Ahrens II, 235, Baunack Stud. X, 135.

E contrario apud Aeolenses *Ἄρης* exhibet formam *Ἄρεος;* v. Ahr. I, 121.

2., Ex Stesichoro (fr. 79) et Ibyco (fr. 52) Hesychius glossam *βρυαλίκται* servavit. — Ut propter glossam vehementer corruptam virorum doctorum varias huius vocis explanationes, quas enumerat M. Schmidt in ed. Hesychiana, praetermittamus, id constare censeo, proinde ut *βρυλλιχισταί* a v. *βρυλλιχίζω,* ita nomen agentis *βρυαλίκται* a v. *βρυαλίζω* originem trahere, cuius verbi part. praes. *βρυαλίζων* idem Hesychius suppeditat. Conspicuus igitur est in v. *βρυαλίκται* mos Dorismi Siculorum, apud quos non solum in futuris et aoristis sigmaticis verborum, quae in —ζω cadunt, ante consonam σ palatalis spirantis locum obtinet tenuis gutturalis, sed ex illorum temporum analogia vel in omnes horum verborum derivationes irrepsit. Simili enim modo formata sunt a Sophr. fr. 40 Ahr. *θαύμακτρον,* a Theocr. XIV, 5 *Πυθαγορίκτας;* IV, 30 *μελικτάς* [39]) ab Epich. teste Hesychio *σκυφοκώναχος* (a v. *κωνάζω* pro *κωνάω*), ab aliis alia. Cf. Ahr. II, 92 sq.

3., Ex Stesichoro (fr. 81) affertur a grammaticis *ἔξοθεν* pro *ἔξωθεν* et comparatur cum ep. *πρόσσοθεν* (Ψ, 533) pro *πρόσσωθεν;* cf. Maximus *περὶ καταρχ.* 395 *προσσοτέρω.* Quas quidem formas aut ad similitudinem adverbiorum *ἔνδοθεν, πόθεν, ἄλλοθεν* etc. aut ab ipsa stirpe *ἐξο, προσσο* prodiisse arbitrari licet. Equidem posteriorem sententiam prae-

---

39) Quare haud scio an rectius sit in Stes. 50 Bergki coniecturam in notis propositam *μελικτᾶν* in textum recipere quam quod ab eo scribitur *μελιστᾶν.*

feram atque ἔξοθεν Siculis dem, quandoquidem praeterea grammatici Syracusanis (cf. Ahr. II, 365 sq.) vindicant illius stirpis adverbia ἔξος (ablat. corrept. ex ἔξως ≌ ἔξωθεν) et ἔξοι (locat.).

4., Denique Stesichorum doricas verborum formas πέποσχα pro πέπονθα (fr. 89) et ποταύδη (fr. 92) usurpasse grammatici auctores sunt.

a., Πέποσχα praeterea in Epicharmi fr. 7 praesto est et ab Ahrente II, 351 Siculis ascribitur.

b., Pro dor. ποταύδη Pindarus posuit epic. προςηύδα. Haec Stesichorea forma una est apud choricos, in qua vocales αε Dorum, non epicorum more contrahuntur, nisi forte quispiam suspicatus sit Timocreontis κηὔχοντο ex καὶ εὔχοντο, non ex καὶ ηὔχοντο contractum esse.

II. Quaedam unius Stesichori Ibycique propria.

1. Insolentem in modum elisionem consonae (ἐξαίρεσιν) et vocalis (συγκοπήν) Ibycus admisit in tribus vocabulis hisce:

a., ἐξαίρεσιν in fr. 53: διέφρασαι pro διέφθαρσαι; primum est statuenda metathesis διέφθρασαι, tum elisio διέφρασαι neque probanda grammatici Etym. M. sententia, qui primum ἔφαρσαι κατὰ πάθος (i. e. ἐξαίρεσιν) ex ἔφθαρσαι, tum καθ' ὑπέρθεσιν ἔφρασαι factum esse censet.

b., συγκοπήν in fr. 54: ἦλσατο βοῦς Ἴβυκος παρὰ τὸ ἠλάσατο (Et. M. 273, 24); Ibycus igitur ἦλσατο eadem notione posuit qua Homerus ἠλάσατο (cf. Od. ν, 51: ἐλάσαιο βόας). Parem formam Etym. M. Simonidi Amorg. (fr. 17) ἠλσάμην tribuit. Quam ad syncopen poëtas aoristus act. ἔλσα verbi εἴλω, qui apud Homerum nonnunquam (Α, 409; Λ, 413) paene eodem sensu exhibetur, perduxisse videtur; aperte illo errore imbutus erat schol. Apoll. Rhod. I, 1247: — πρὸ γὰρ αὐτοὶ ἐνὶ σταθμοῖσι νομῆες Ἔλσαν, qui πρὸ — ἔλσαν pro προήλασαν dictum esse profitetur. Consimiliter illas glossas homericas explicat Hesychius: ἔλσαν (Λ, 413)· συνήλασαν et ἔλσαι (Α, 409) συσχεῖν, συνελάσαι, συγκλεῖσαι.

Porro Etym. M. 163, 8 et Etym. Gud. 89, 31 (cf. Ib. fr. 51) praecipiunt: Ἄτερπνος· ὁ ἄγρυπνος παρὰ Ῥηγίνοις, ὡς παρ' Ἰβύκῳ καὶ Στησιχόρῳ· ἔστι κατ' ἐντέλειαν ἀτέρυπνος

ὁ χωρὶς ὢν ὕπνου; cui testimonio iam Lobeck Path. el. I, 327 propter insolentissimam ellipsin[40]) et particularum separativarum ἄτερ, ἄνευ, χωρίς cum aliis vocabulis compositionem inauditam suo iure fidem abrogavit; attamen vereor ut, quamvis recte Lobeck ἄτερπνος ab α privativo et adi. τερπνός derivet, cuiquam eius explanatio ‚ἄτερπνοι insomnes quatenus ὕπνῳ οὐ τέρπονται' placeat, cum sit valde ridicula. Quare facere non possum, quin grammaticos Etymologicorum ipsos hac in voce errasse statuam, qui eorum error etiam ex eo quod Rheginis, quorum tamen nunquam erat Stesichorus, eam tribuunt, satis elucet.

2., In Ibyci fr. 50 Bergk enumeravit testimonia grammaticorum de adiectivis quae in —ωσιος exeunt: ἀετώσιος, χαριτώσιος, ἀκακώσιος. Nonnulli, uti gramm. in Cram. Ann. IV, 329, 22 Rheginorum dialecto imputant. Quibus vel G. Meyerum (K. Z. XXII, 487 sq.) fidem habuisse valde miror. Nempe eorum formationem nec doricam nedum Rheginam[41]) esse posse littera σ loco τ in clausula —ωσιος atque ἐτώσιος in lingua epica usitatum affatim demonstrant. Atque si homericum ἐτώσιος in fronte vocalem amisisse G. Meyero (l. c. p. 487) auctore credimus, id et Ibyceum ἀετώσιος eandem esse vocem quominus arbitremur nihil prohibet. Id vero mihi constare videtur Ibycum haec adiectiva ex similitudine homerici ἐτώσιος, quod ab adverbio ἐτός suffixo —ιος descendere vulgo putatur, finxisse proinde atque Aeschylus aliique poëtae ἡμερ-ήσιος, νυκτερ-ήσιος, ἀροτ-ήσιος falsa adiectivorum φιλοτήσ-ιος, γνήσ-ιος analogia adducti formarunt.

Sententia autem antiquorum grammaticorum, qui Ibycum vel Rheginos illa adiectiva a genetivis pluralis derivasse opinantur, prorsus est abicienda.

3., Ex Stesichoro grammatici afferunt adiectiva:

a., ἀνίψαλος· ἀδιάφθορος (fr. 76) ex ἀν-ιψ-αλο-ς. Recte ad radicem ἰπτ (praes. ἴπτομαι) ab eis respicitur.

---

[40]) Pariter non probo Bergki in Timocr. 1 coniecturam γλοιῶς pro tradito γελοιῶς; ceterum iam significatione Hesychiana glossa γλοιῶς· νυσταχτικῶς differt ab γελοιῶς.

[41]) Idem valet de adi. αὔσιος Ib. fr. 12, quod ab αὔτως deductum esse videtur.

b., ἐρίσφηλος· ἐρισθενής (?) fr. 82. Originem ducit a st. σφαλ verbi σφάλλω, quapropter fortasse rectius apud Stesichorum ἐρίσφαλος scribitur. Praeterea habes simplex adi. φηλός abiecta littera initiali σ (v. Curtius Et.[4] 376). Ἐρίσφηλος igitur potius ‚perfallax' quam ‚pervalidus' esse mihi videtur.

4., Herodianus techn. I, 508 Lentz docet: τὰ εἰς ῑν ἐπιῤῥήματα ἐκ πλεονασμοῦ ἔχει τὸ ν̄ οἷον αὖθι, αὖθιν, οὕτω γὰρ λέγεται παρὰ Ῥηγίνοις κτα., quem usum ad Ibycum quidem Rheginum nec tamen ad Rheginos ipsos referendum esse viros doctos adhuc videtur fugisse. Neque enim quicquam dorici inest formae αὖθιν. Ibycum igitur in adverbio loci αὖθι i. e. illico ante sequentem vocalem ut hiatum, quem Homerus littera ῑ elisa tollere solebat, evitaret ν ephelc. assumpsisse puto; similiter egerunt alii poëtae in advv. πέρυσι(ν), νυνί(ν), οὑτωσί(ν) una cum αὖθιν ab Herodiano allatis.

§ 22.

De formis Simonidi Bacchylidique propriis.

Quae patriae ionicae dialecto erant peculiares formae, in choricis carminibus Simonides et Bacchylides (excepto fr. 42) aversabantur. Neque in choricae poësis dialecto temperata subtili quodam boni et apti iudicio reconditiores linguae doricae, aeolicae, epicae formas asciverunt, ita ut in Bacchylidis fragmentis formarum inusitatiorum ne una quidem, in Simonidis vero reliquiis praeter imperativum ἔλλαθι, de quo supra exposuimus, nulla reperiatur nisi nom. acc. subst. πύϊρ (fr. 59), qui praeterea nusquam in litteris Graecis servatus diversissimas explanationes est perpessus.

Qua forma πύϊρ funditus labefactatur eorum opinio, qui stirpem πῠρ in casibus obliquis semper correptam in nomin. et accus. sg. proinde atque apud Atticos monosyllaba πᾶν et πούς, quae Dorienses πάν et πός (Ahr. II, 178) pronuntiabant, esse productam (πῡρ) putant. Neque quemquam Herodiano, qui πύϊρ ἕνεκα μέτρου ἐκ πῦρ esse distractum monet, assensum esse repperi praeter Savelsbergium (K. Z. XXI, 124), qui ceterum πύϊρ cum θυιάς ex θυάς distracto comparandum esse iudicat. Quod fieri nequaquam potest, quandoquidem θυιάς a verbo θυίω (v. Curtius Verb. I, 290)

derivatur neque forma θυάς ullo certo testimonio confirmatur (cf. Bentl. Hor. Od. II, 19, 9 et Blomf. Aesch. Sept. 494). Deinde non intellegitur, cur si esset ῑ postea ex ῑ natum, illud ῡ correptum sit (πῦϊρ).

Neque vero quod Bergk Platonis philosophandi ratione (Cratylus 410 A) perductus πῦρ vocem phrygiam, cuius formam Simonides servarit incorruptiorem, esse putat, ulla ex parte mihi probatur. Nam Plato quia etymon illius vocis non apparebat, barbaram vocem esse existimabat eamque ipsam ob causam vel ὕδωρ et κύων multaque alia barbaris tribuit. Tum iam id valde esset suspectum, quod Simonides aetate multo inferior quam Homerus formam huius phrygiae vocis antiquiorem et incorruptiorem servasset quam lingua epica, in qua saepissime πῦρ eiusque composita usu veniunt.

Multo subtiliorem explicationem formarum πύϊρ et πῦρ proposuit Ioannes Schmidt in libro: Zur Geschichte des indog. Vocalismus II, 273 sq.

Ille vir doctus ob Simonideam formam πύϊρ vocem πῦρ non minus quam omnia cognatarum linguarum substantiva huc pertinentia derivat a stirpe puri, gr. πῦρι, quam in adii. compp. πυριήκης, πυριφλεγέθων, πυρίκαυστος servatam esse putat. Vocalem ι epenthesi in stirpem penetrasse (πυιρ) eaque re syllabam longam nom. et acc. πῦρ explicari, in casibus vero obliquis *πυρjός, *πυρjί etc. spirantem j aut statim evanuisse aut πυρjός primo in πυρρός, tum in πυρός abiisse dicit et formas χερός, δόρατι etc. comparat.

Neque tamen illa tria adii. compp. Homerica stirpem voci πῦρ peculiarem in ι desiisse probant. Nam priora ambo ex locativo-dativo (cf. Westphal, Method. Gramm. II, 15) πυρί et participio adiectivove verbali φλεγέθων et καυστός coniuncta esse liquet et manifeste declarat Il. Δ, 197:

ὄφρα τάχιστα πυρὶ φλεγεθοίατο νεκροί, cf. Φ, 358; 365.

Parique modo adi. πυριήκης (sc. μοχλός) formatione paulo obscuriore ut sit ‚igni acutus' vel ‚πυρὶ ἤκην (cf. Archil 42) ἔχων' explanandum esse verisimile est.

Dein vehementer mirandum est, quod in universis casibus obliquis stirpis πυρι ne vestigium quidem relictum est, quandoquidem spirans j quae evanuit neque in dialecto

aeolica liquidae ρ geminationem neque in reliquis dialectis productionem suppletoriam vocalis ῠ usquam effecit, quamquam omnia alia substantiva, ad quae Schmidt provocat, praeter stirpis syllabam immutatam etiam interdum syllabam productam, uti χειρός, δούρατα etc., exhibent.

Maxime autem Schmidti explicatio refellitur eo, quod vocalis ι, quando epenthesi in praecedentem syllabam penetrat, nunquam ipsa per se syllabam efficit, sed semper cum illius syllabae vocali arte in diphthongum coalescit. Itaque si Schmidti coniectura recta esset illa forma vel πυῖρ vel contracta πῦρ esse debebat. At πύϊρ apud Simonidem est bisyllabum, quod epenthesis naturae obstat.

Neque quidquam valet in Graecam formam, quod re vera teutonicum fuir et slavicum *pyrĭ (boh. pýř, pol. pérz) a stirpe fūri et pyrĭ vocali ι amplificata descendunt. Nam haec stirpium discrepantia saepius in linguis indogermanicis conspicitur; cf. scrt. dvâr et graec. θῠρ-α vel graec. κύων (st. κυον) et lat. canis (st. cvani), alia.

Quare facere non possum, quin duas huius vocis stirpes πυϊρ et πῦρ statuam; quarum altera πύϊρ, quae mature in πῦρ contrahebatur, in nom. acc. sg. usu conclusa, altera vero brevior πῠρ semper in casibus obliquis usurpata est. Quae radicis vicissitudo nescio an ista stirpium imminutione, de qua disseruit Brugman in Stud. IX, 363 sq., explicari liceat. Neque tamen suffixum —ir adhuc usquam indagatum est.

Corrigenda:

p. 7	columm.	10	pro	imbuere	lege	: induere
p. 12	„	2	„	eorum	„	: earum
p. 14	„	12	„	ἄπρηκος	„	: ἄπρηκτος
p. 16	„	31	„	eandem	„	: eundem
p. 16	„	36	„	repugnas	„	: repugnans
p. 37	„	24	„	indicat	„	: iudicat
p. 37	„	35	„	coddicum	„	: codicum.

VITA.

Carolus Ernestus Mucke natus sum in Lusatiae superioris vico Grosshaenchen saxonico die 10. mensis Marti a. 1854 patre Georgio, quem ante tres annos mortuum esse vehementer doleo, matre Maria e gente Mittasch, qua adhuc superstite laetor. Fidei addictus sum evangelicae.

Anno 1866 in gymnasium Budyssinum receptus sum, quod per octo annos frequentavi Palmio et Kreusslero rectoribus. Anno 1874 testimonio maturitatis munitus litterarum universitatem Lipsiensem adii imprimis philologiae studio me daturus. Anno 1875 Ienam me contuli, ubi per sex menses audivi viros doctissimos Schmidtium et Sieversium. Lipsiam reversus per sex semestria interfui scholis virorum illustrissimorum Brauni, Curti, Drobischi, Ecksteini, Huebschmanni, Langi, Leskieni, Lipsi, Overbecki, Ribbecki, Ritscheli, Voigti, Wundti.

Per quinque semestria societatis grammaticae Curti et per tria slavicae Leskieni socius fui et etiamnunc sum.

Dein per senos menses societatis philologae Ritscheli et Ribbecki sodalis fui ordinarius. Neque minus frequentavi exercitationes proseminarii et seminarii regii philologici atque etiamnunc seminarium regium paedagogicum frequento.

Praeceptoribus meis, imprimis Georgio Curtio et Augusto Leskienio, quos de me summo opere esse meritos semper ero memor, gratias quam maximas habeo semperque habebo.

Lipsiae, Typis Leopold & Baer.